





BIGA  
OBSERVATIONVM

AD TIT. D.

1765, 56  
*ni*  
8. 9  
**SI QVIS IVS DICENTI**

NON OBTEMPERAVERIT

PRAESIDE

**ADOLPH. FRID. TRENDELENBURG**

AA. LL. M. PHIL. ET L. V. D. ET ANTECESS. IN ACAD. FRIDERICIANA  
EIVSDEMQUE H. T. RECT. ET ORDINIS ICTOR. DECAN.  
SOCIET. TEVT. DVCAL. HELMSTAD. COLLEG. HONOR.

AD

DISCEPTANDVM

PROPOSITA

A

**NIC. GEORG. BERNH. DE LOEVENSTERN**

HAMBVRGENSI. L. V. CVLT.

BVETZOVII

A. O. R. c1o1occlxv. A. D. viiil. KAL. iVn.



22

ORATIONVM  
AD TIT. D.

SI QVIS IVS DICENTY

NON OBTINERAVERIT

PRÆSIDE

ADOLPH. FRID. TRENDEL. ENBVRG

AA. II. M. III. ET I. V. ET ALIIS RECTORIBUS ET ACADEMICIS  
SOCIETATIS UNIVERSITATIS HANNOVERENSIS  
SOCIETATIS ET SOCIETATIS HANNOVERENSIS

DISCEPTANDVM

PROPOSITA

DR. GEORG. BERNH. DE LOEVENSTERN

IN TIT. D.

ANNO MDCCLXXIII





DVOBVS. PACIS. DECORIBVS

V I R I S

ILLVSTRI BV S. I VRISCONS VLTISSIMIS  
DOCTISSIMIS

GEORGIO. CHRISTIANO  
GEB A V E R

POTENTISS. MAGN. BRITAN. REG. A. CONSIL. IVSTIT. INTIM  
AA. LL. M. PHIL. ET. I. V. D. ET. ANTECESS. PRIMAR. IN. ALMA  
GEORGIA. AVGVSTA. ILLVSTRISQVE. IN. EADEM  
ORDINIS. IVRECONS. SENIORI. ET

HVCYSQVE. PRAESIDI

ET

GEORGIO. HENRICO  
A Y R E R

POTENTISS. MAGN. BRITAN. REG. A. CONSIL. AVL  
AA. LL. M. PHILOS. ET. I. V. D. ET. ANTECESS. IN. INCLVTA  
ACAD. GEORGIA. AVGVSTA. COLLEGIHQVE. ILLVSTR  
QVOD. IBI. DE. IVRE. RESPONDET  
IAM. ORDINARIO





VIRIS. SVMMIS  
GEORGIAM. AVGVSTAM  
ET. IPSAM. ADEO. IVRISPRVDENTIAM  
ORNANTIBVS  
FAVTORIBVS. OLIM. PRAECEPTORIBVS  
SVIS  
PIO. HONORIS. CVLTV. PROSEQVENDIS



QVALEM CVNQVE

HANC EXERCITATIONEM ACADEMICAM

IN TESSERAM

OBSERVANTIAE PIETATIS, STUDII

INNVMERORVM IN SE. COLLATORVM. BENEFICIORVM

GRATA MENTE MEMOR

CVM

OMNIGENAE FELICITATIS

ADPRECATIONE

D. D. D. D



SIMVLQVE

I I S D E M

GENEROSVM. DEFENSOREM

SVVM. HVCVSQVE

MOX

I P S O R V M

AVDITOREM

AD. PRAECLARA. QVAEVIS. ADNITENTEM

IMPENSISIME. COMMENDAT

T A N T O R V M. N O M I N V M

OBSERVANTISSIMVS. CVLTOR

ADOLPHVS. FRIDERICVS. TRENDELENBURG





**E**xercuit dudum praestantissimorum et clarissimorum in iuris scientia virorum ingenia edictum, quod praetor proposuit contra eum, qui ius dicenti non obtemperauerit, et locus ille *ULPIANI* ex Lib. I. ad Edict. quem *TRIBONIANVS* nobis in *Pandecte* seruauit. <sup>a)</sup> Quapropter *FRANC. DVARENVS* <sup>b)</sup> huius loci sensum, inquit, quem omnes, qui nominis alicuius in scientia iuris ciuili, nostra parumque memoria fuerunt, summo studio conati sunt interpretari, neminem adhuc satis explicasse, cuius scripta in manus meas uenerint, adfirmare ausim. Quae totidem uerba exscripsisse fibique tribuisse uirum caeterum praeclare doctum *PETR. GRANGIANVM* <sup>c)</sup> maxime miror, quum is ipse *DVARENVM* non tantum presse sequatur, sed doctrina sua, ut et uerbis ipsis, plane spoliat. Nos uero post tot tantorumque uirorum curas huic quoque loco explicando adcedere, nemo mirabitur, neque id arroganter a nobis fieri putabit, qui intelligit, quantum luminis iurisprudentiae adcedat, dum, quae summi uiri de quaque re scripserunt, diligenter congerantur, ex eorumque libris, quid optimum sit in quouis genere, seligatur. Incitauit me autem imprimis ad huius loci tractationem frequens summi nostri *CVIACII* lectio, quem de hac quaestione multum et varie disputasse sentio. <sup>d)</sup> Neque est nobis animus, omnia, quae de hoc edicto quaeruntur et disputantur a Doctoribus, persequi, sed duas tantum, easque celebriores quaestiones, discutere, mens nobis est, quarum altera est de genere actionis, quae ex hoc edicto datur a Praetore, altera uersatur circa contumaciae genus, quod proposito hoc edicto coercetur. Ipsa uerba huius antiquissimi, ut uide-

tur

a) Tit. Si quis ius dicenti non obtemperauerit.

b) *Disput. amicus*, Lib. I. c. 50.

c) in *Paradoxis Iur. Ciuil.* c. 47, in *Theaur.* EV. OTTON. Tom. V. pag. 637.

d) Cuius lectionis mentionem faciens, non possum, quin publice praedictam maximam liberalitatem Viri Illustris ERN. AVG. RVDLOFF, qui est SERENISSIMO DVCI MEGAPOL. a Consiliis in regimine. Huius enim

summi Fautoris beneficio contigit mihi, integra *CVIACII* Opera, quorum usum tantum ex commodato ad aliquod tempus rogaueram, quasi κειμήλιον praestantissimum inter paucos, quibus instructus sum, liberos referre. Quo ipso magnifico dono insigniter me in iurisprudentiae studio adiutum, et summo Fautori, multis nominibus mihi summo pere colendo, maxime obstrictum profiteor.

A



tur<sup>c)</sup>, edicti restituere conatus est magnum iurisprudentiae decus GERARD. NOODT<sup>f)</sup>. Sed quum ipse vereatur, ne manca ea sint, quae conicit, ab hoc restituendi studio maxime incerto, plane abstinere, quam album praetoris inanibus coniecturis corrumpere et debellare malumus.

## OBSERVATIO PRIMA

DE GENERE ACTIONIS QUAM PRAETOR PROPOSVIT  
CONTRA EVM QUI IVS DICENTI NON  
OBTEMPERAVERIT.

### §. I.

**P**rimum autem, quum quaerimus, cuiusnam generis fuerit actio, quam hoc edicto Praetor proposuit, deterrere nos poterat ab indagandi studio summus G. NOODT, qui, dum ad hanc quaestionem accedit, nec ipse in hac re, quasi facti, quidquam pro certo definire vult, nec sine veterum auctoritate probat ratiocinationem, plerumque, quod ait, fallacem aut vanam, etsi saepe non improbabilem. Sed quum ipse facto suo probauerit fallaces huiusmodi, si quae vnquam sunt, coniecturas, qui de verbis edicti restituendis laborat, quis improbat quaecumque nostrum studium in eruenda re, quae facti quidem est, sed in qua datur tamen ratiocinationi, vt ipse fatetur vir doctus, non improbabili locus. Quare quemadmodum nos abstinuimus ab illa verba restituendi cura, quam vir praestantissimus adhibuit, ita, quam ille improbat perscrutationem, eam nobis sumamus, parum certe curantes eorum reprehensionem, qui cum IO. GOTTFR. SCHAVMBVRGIO<sup>a)</sup> hanc quaestionem, quia vsu hodie in foro non praestat, reiiciunt. Sed quum CUIACIVS, princeps restauratae iurisprudentiae, occasionem huic disputationi ita a nobis instituendae dederit, aequum videtur, vt cum hoc potissimum disputemus. Quare ordiamur ab huius viri summi sententia exponenda. Duobus autem potissimum locis<sup>b)</sup> ille iudicium, quod hoc edicto dare promittit praetor, populare fuisse contendit, duplici, quan-

c) quod conicit HEINECCIUS ad D. h. t. §. 268. ex loco DIONYSII HAL. quem ibi adduxit.

f) in *Commis. ad D. h. t.*

a) in *Comp. Iur. Dig. h. t.*

b) scilicet L. 22. *Observ. c. 25.* et in *repetita praesect. ad h. t. D.*



quantum video, ratione motus. Primum enim, quum et actio de albo corrupto popularis sit, et beneficium edicti: quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur, omnibus pateat, congruum ipsi videtur, et hanc actionem, qua itidem vindicatur contenta maiestas ius dicentis, cuilibet ex populo dari. Dein adcedit, quod huic sententiae optime conueniant, ex eaque intelligi possint, quae VLPIANVS dicit, <sup>c)</sup> hanc actionem neque post annum neque in heredem dari. Nam idem VLPIANVS eodem Libro I. ad Edictum, ex quo illa desumpta sunt, vtrumque hoc tribuit omnibus actionibus popularibus <sup>d)</sup>. Doctores cum agmine sequutos esse CVIACIVM, non facile comite desistunt, quis dubitabit? Ex quibus speciminis causa nominasse hoc loco sufficiat: HVG. DONELLVM <sup>e)</sup>, IVST. HENN. BOEHMERVM <sup>f)</sup>, HENR. HANNIVM <sup>g)</sup>, qui variis argumentis hanc sententiam fulcire annisus est, W. A. LAVTERBACHIVM <sup>h)</sup>, IO. IOACH. SCHOEFFERVM <sup>i)</sup>, G. FRANZKIVM <sup>k)</sup>, IVST. MEIERVM <sup>l)</sup>, IO. HENR. de BERGER <sup>m)</sup>, LVD. MENCKEN <sup>n)</sup>, quare mirum non est REINH. BACHOVIVM, <sup>o)</sup> et, qui illum sequutus videtur, PETRVM MULLERVM <sup>p)</sup> hanc opinionem dicere communem, quod dici non potest, quantum vim habeat apud plurimos ad persuadendum.

## §. II.

Sed qui quauis fere in re multos semper tulit plausus CVIACIVS, is multorum quoque saepissime incurrit reprehensiones. Quare quid mirum, in re tam dubia atque incerta multos ab ipso dissensisse? Primum inter eos merito appellamus, qui CVIACIVM, ut multis in locis, ita etiam in hac quaestione sibi met ipsi non constantem et a semet ipso dissentientem ostendit, EM. MERILLIVM, <sup>q)</sup> contra cuius impugnationes licet strenue CVIACIVM defendere eiusque causam

A 2

c) in c. vn. §. fin. D. h. t.

d) in c. ult. D. de popular. act.

e) quem, quum ipse adire non possim, aliorum fidem sequutus (nominio, Lib. 15. Comment. c. 24.

f) Introd. in Ius Dig. h. t. §. 1.

g) ad WESENB. h. t. n. 2.

h) in C. T. P. eod. §. 2.

i) Synops. Pand. ibid. n. 2.

k) ad D. h. t. n. 8.

l) in Colleg. Iur. Argent. h. t. n. 3.

m) Oecon. Iur. L. 4. T. 3. §. 4. extr.

Neque puto I. A. BACHIVM ab eo dissensisse, quia is de hac res nihil notauit in edit. quam curauit pag. 732.

n) in Theor. et Praxi Pand. h. t.

o) ad TREVTLER. Vol. 1. Disp. 4. thes. 9. Lit. D. et E. pag. 73.

p) ad STRVV. Syntagm. I. C. Exerc. 4. th. ult. lit. β.

q) in Lib. I. Variant. ex Cuiac. c. 6. vti constat mihi ex multorum adlegationibus.



fam firmare annifus fit fedulus eiusdem defensor, FRANC. ORY, vel, quod nomen magis ipfi placuit, OSIVS <sup>b)</sup> Aurelius, sunt tamen multi MERILLIVM fequuti, vt VLR. HVBERVS, <sup>c)</sup> et, quos ille nominat, SCIPIO GENTILIS <sup>d)</sup> et IO. IAC. WISSENBACH <sup>e)</sup>, item FRANC. DVARENVS <sup>f)</sup>, CORN. VAN ECK <sup>g)</sup>, ANT. SCHVLTING <sup>h)</sup>, MATTH. WESSENBECIVS <sup>i)</sup>, licet dubitanter, vt HAHNIO vifum eft, et post varia in contrarium allata argumenta, SAM. DE COCCHEI <sup>k)</sup>, IO. GOTTL. HEINECCIUS <sup>l)</sup>, AL. ARN. PAGENSTECHEM <sup>m)</sup>, IOS. AVERANVS <sup>n)</sup>, et multi alii, quorum omnium nomina recenfere nec datur, nec, fi daretur, multum iuuaret. Ipfum CVIACIVM hac in re variaffe, parum abeft, quin credam, quidquid ORIVS nofter contra dicat. Nam in prima recitatione ad h. t. D. plane non dicit, hanc actionem effe popularem, fed fimpliciter tantum, eam dari aduerfario contra aduerfarium, dein, quam in posteriore expositione dicit, pro natura actionum poenalium, diuidendam effe inter fifeum et actorem poenam, ex ea in priore nihil vult fifeo dari, de qua quaefione et alio loco dubitanter fcribit; <sup>o)</sup> denique quod in posteriore ex natura actionum popularium, vt ante diximus, deducere conatur, quod annalis fit, nec in heredes detur, id ipfum in priore expositione ex eo effe dicit, quod haec actio poenalis fit et a praetore data. Quare factum effe puto, vt VLR. HVBERVS, qui forte vnice in primam illam CVIACII expositionem huius tituli incidit, illam difsentire neget; de quo diffenfu, fi legiffet posteriorem praelectionem h. t. plane dubitare non potuiffet.

## §. III.

Tam vero nos ipfam quaefionem hanc adgrediamur, non quafi fupremi inter tanti nominis viros arbitri intercedamus, quam arrogantiam ne inuidiofe quidem nobis tribui poffe a quoquam putamus, fed, vt horum doctiffimorum virorum opinionibus inter fe amice col-

b) in difputatore ad MERILLI difputacione 6. in Thef. EV. OTT. Tom. III. p. 708. fq. De nomine auctoris vid. praef. huius Tomi p. 54.  
 c) in Praef. ad D. h. t. n. 3.  
 d) Lib. I. de Iurisd. c. 8.  
 e) ad D. P. I. Difp. 7. tit. 5. vti video apud SCHVLT. adlegatum.  
 f) Lib. I. annu. Difput. c. 50.  
 g) Princip. Iur. Ciu. ad h. t. §. 2.

h) in thefib. controo. iuxta fer. D. Dec. 4. thef. 10.  
 i) ad D. h. t. n. 4. extr.  
 k) in Iur. Ciu. Controo. ad h. t. qu. 7.  
 l) Element. Iur. Ciu. ad h. t. §. 272.  
 m) in notis ad Comp. Lauterbach. b. t. in Thefauo. MOLLENBECH. p. 100. not. 2.  
 n) in interpret. Iur. L. I. c. 4. n. 42.  
 o) Vid. L. 24. Obferu. c. 25.



latis, quae ab illis erudite disputata sunt, in nostram certe, forte et aliorum quorundam, utilitatem conuertamus. Quare nec vlla erit nobis eorum, qui disputant, auctoritas, sed rerum tantum, quae protulerunt, curatior consideratio. Qua ratione puto fieri posse, ut, quae a summis viris acriter et cum contentione sunt in vtramque partem disputata, ea facilius possint, quam his ipsis disputationibus quasi lumine illustratae sint res, de quibus quaeritur, a quoquam perspici, qui nulla ratione est cum illis viris, qui has res tractarunt, comparandus, modo is solo veri amore et studio ducatur, nec animi motu perturbetur, qui maxime plerumque summis viris obfuit. Primum autem, quae MERILLIVS aduersus CUIACIVM disputauit, ea ORIVS satis refutasse videtur, nisi quid eorum, quae MERILLIVS protulit, reticuerit, ipsius enim libros adeundi et inspiciendi potestas nobis non est, qui, ut multis, ita et hoc eruditionis praesidio et auxilio destituti sumus. Nam ex eo, quod detur haec actio etiam aduersario in aduersarium, quod ipsum tamen in libris nostris non legitur, negari non potest, hanc actionem esse popularem, quam VLPIANVS nos doceat, <sup>a)</sup> in popularibus actionibus, si plures simul agant, praeferrere adeo eum, cuius interest. Nec negari potest, quod tamen et HVBERVVM negasse video, publice interesse, ut maiestas praetoris vindicetur. Sed de eo tamen subtilius quaeri potest, an per contumaciam, quam praetor hoc edicto coerceri voluit, ita violenter maiestas eiusdem (quidam enim maiestatem ei tribuimus?) <sup>b)</sup> ut inde possit popularis actio concedi, quae suum ius populi tuetur. <sup>c)</sup> In quam quaestionem ideo incidimus, quia, quod praetor dat populare iudicium aduersus eum, qui album corrumpit, restrictum est ad ea, quae iurisdictionis perpetuae causa proposita sunt, id est, ad edictum annuum seu ordinarium <sup>d)</sup>, quod perpetuum dicere solent, <sup>e)</sup> non vero pertinet ad id, quod, prout res incidit <sup>f)</sup>, vel, ut CI-

CERO

A 3

- a) c. Sed ff. 3. §. in popular. 1. D. de popul. act.  
 b) Quam tribui praetori in libris nostris obseruat Academiae Lipsiensis decus et ornamentum, Vir Cl. CAR. BERD. HOMMEL in elegantissima *prolus. de forma tribunalis et maiest. pract. Lips. 1763.* §. I. Eam et de consule praedicare CICERONEM notarunt BRISSON. de V. S. et V. S. V. Cl. ERNESTI in *Clavi Cic.*  
 c) Vid. c. eam 1. D. de popul. act.  
 d) Vid. 10. CORASHI *Miscell. Iur. Ciu. L. 4. c. 6. n. 6.* et CUIAC. *repet. pract. ad c. 7. et 8. D. de iurisd.*  
 e) Quod recte fieri negat Cl. 10. A. BACH in *hist. Iur. L. 2. c. 2, S. 3. §. 2. et §. lit. m.*  
 f) Verba haec non in edicto praetoris extitisse, quod exhibet VLPIANVS in c. Si quis id 7. pr. D. de iurisd. sed esse



CERO ait, <sup>g)</sup> ex tempore praetor edixit. Neque ratio, ob quam totius populi intererat, ne edictum ordinarium praetoris corrumpere, <sup>h)</sup> poterat ad edicta repentina adplicari. Quare puto non inepte me posse ita ratiocinari: sicuti corruptio extraordinarii edicti, licet vel maxime ea quoque laederet maiestatem praetoris, tamen, quia ipsum edictum non omnium causa, sed de re singulari ad priuatos tantum spectante propositum erat, non putabatur ad integrum populum spectare, nec ob eam populari iudicio agebatur, ita nec id videtur sufficere ad dandam cuiuslibet ex populo actionem, quod quis praetori in causa singulari et inter priuatos ius dicenti, non obtinuerit, licet is potestatem praetoris violasse et auctoritatem eius contempsisse recte dicatur. Cui argumento an tanta vis insit, quanta mihi quidem videtur, iudicent viri harum rerum intelligentes, quibus si probari viderim, insigniter laetabor, quum illud ex aliorum libris a me depromptum non sit. Quare quum causa coniecta iam sit, nosque contra CUIACIUM hac in re sentire, et professi sumus, et dissensionis nostrae primam rationem adduxerimus, quod scilicet contemptus huius praetoriae maiestatis ea conditio non sit, quae esse debebat, ut popularis inde actio daretur, videndum iam erit de reliquis argumentis, quibus commune, ut videtur non nullis, Doctorum opinionem relinquentes, <sup>i)</sup> *disseru* nostram confirmemus, ne temeritatis notam incurramus.

## §. III.

Sed si quis adserit, esse actionem, quam praetor in edicto suo proposuit popularem, id iure meo posse ab eo efflagitare mihi videor, ut hoc imprimis et luculentissime vel ex claris ipsisque legum nostrarum verbis probet, vel firmissimis argumentis ex iisdem aut veterum scriptorum testimoniis deductis fulciat. Est enim singulare hoc et paucissimis remediis iuris proprium, ut dentur cuiuslibet ex populo, quatenus a iudiciis illis publicis recesseris, quae ex legibus iudiciorum publicorum veniant, ut MACER ea finiuit <sup>a)</sup>, licet et populares

*esse antiquum glossemata post CUIAC. Lib. 21. Obs. c. 24. quem et IANVM COSTA ad §. 12. l. de act. sequuntur esse apud alios lego, GER. NOODT ad Tit. D. de iurisd. conicit, sicut neutrum nominauerit, quum ta-*

men CUIAC. certe legisse satis adpareat.

*g) in Verrem Lib. 3. c. 14.*

*h) quam rationem late exponit FR. DV-*

*AREN. Lib. 1. Disp. ann. c. 48.*

*a) c. non omnia i. D. de publ. iud.*



populares actiones publicas vocauerit PAVLVS <sup>b)</sup>, quia dantur cuius ex populo, adeoque popularis seu publicae hac ratione dici possunt, <sup>c)</sup> quum tamen alio sensu ad priuatas omnino pertineant. <sup>d)</sup> Quare non temere credendum puto nisi firmissimis, vt dixi, argumentis adferenti, esse actionem popularem, et vereor sane, vt alia hac in re procedat probandi ratio, praeter illam, quae proficitur ex claris et perspicuis librorum nostrorum aut veterum scriptorum testimoniis. Certe idem sentire video HVBERVVM, qui, quum negat, actionem ex hoc edicto popularem esse, addit: *quia non exprimitur*. Neque scio, an cuiquam interpretum iuris nostri hoc dandum sit, vt, quod singulariter est non nullis actionibus, praetoriis maximam partem, tributum, id ad alias extendat, de quibus hoc non expresse cautum legitur, quemadmodum hoc cautum legimus v. c. in actione de sepulcro violato <sup>e)</sup>, in actione de effulis vel deiectis, quae de eo competit, quod liber periisse dicitur, <sup>f)</sup> et in hac, quam aduersus eum praetor proposuit, qui supra locum, vbi vulgo iter fit, positum quid aut suspensum habet, quod cadens nocere possit <sup>g)</sup>, item in ea, quam dat praetor in eum, qui contra edictum tabulas testamenti aperuisse dicitur, <sup>h)</sup> vt et in actione, de qua supra diximus, aduersus eum, qui, quod perpetuae iurisdictionis causa propositum est, dolo malo corrumpit <sup>i)</sup>, quemadmodum etiam quibusdam interdicitis praetor cuiilibet agere concedit, veluti ex iis, quibus prohibet, quid in loco publico fieri, praeter quam quod lege, senatusconsulto, edicto, decretoue principum concessum est <sup>k)</sup>, et in flumine publico, inue ripa eius facere, aut in flumen ripamue eius immittere, quo aliter aqua fluat, quam priore aestate fluxit <sup>l)</sup>, et ex eo, quo vim fieri vetat illi, qui viam publicam iterue publicum aperire et reficere vult, <sup>m)</sup> nec non ex interdicto, quod tuendae libertatis

b) c. eum qui iurau. 30. §. in popularibus 3. D. de iuratu.

c) Conf. §. publica 1. I. de publ. iud. ibique EV. OTTON.

d) de quarum a publicis iudiciis differentia curate et succincte, vt solet, exponit EV. OTTO ad pr. I. d. 1. Quid publica iudicia a popularibus differant tradit IVD. MENCKEN in Theor. et prax. Pand. Tit. eod. §. 2.

e) c. praetor ait. 3. pr. et §. fin. D. de Sepulcro viol.

f) c. si vero plures 5. §. haec autem actio 5. D. de his, qui effud.

g) eod. c. §. ult.

h) c. Lige cornelia 25. §. ult. D. de Scto Silan.

i) c. si quis id. 7. pr. D. de iurisdic.

k) c. praetor ait. 2. §. hoc interd. 34. D. ne quid in loco publ.

l) c. ait praetor. 1. §. hoc interd. 9. D. ne quid in flum. publ.

m) c. praetor ait 1. §. fin. D. de via publ.



tatis causa proponitur, ne homines liberi detineantur a quoquam <sup>o)</sup>). Ita quoque lex agraria, quam c. CAESAR tulit aduersus eos, qui terminos statutos extra suum gradum finesue mouerint dolo malo, in terminos singulos, quos eiecerint, locoue mouerint, quinquaginta aureos in publico dari, et eius actionem petitionemue ei, qui uolet, esse iubet. <sup>o)</sup> Quare, quum de actione, quae ex hoc edicto competit, nullibi in libris nostris proditum sit, popularem eam esse, uereor sane, ne temere inter huius generis actiones relata recte cense-  
feri possit.

## §. V.

Sed quamuis expresse et diserte hoc libris nostris non insit, modo ex iis, quae de hac actione in legibus proferuntur, recte inferri possit et confici, quid interest? Sentio ita CUIACIUM nobis obloqui. Et dabimus hoc quoque. Sed agedum! Videamus, quibus articulis id, quod putat, ex libris nostris deduxerit! Est autem profecto, inquit, haec actio popularis, quia sunt et reliqua remedia, quae tuentur potestatem ius dicentis, popularia. In quo argumento duplex mihi obuenerit consideratio. Primum enim vis argumenti, quam consequentiam dicunt Dialectici, in hoc ratiocinio desicere mihi uidetur. Nam, si uel maxime uelim concedere, esse omnia remedia, quae sunt ad defendendam potestatem magistratuum comparata, popularia, tamen non uideo, quomodo tuto ex his confici possit, hoc quoque remedium cuius ex populo patere. Certe nihil aliud inde efficeretur, quam hoc, non plane improbable esse, hanc quoque actionem popularem fuisse. Sed ne diutius his immoremur, quae clara uidentur et perspicua. Id ipsum quoque, quod est alterum, negamus uerum esse, quod CUIACIUS fundamentum ratiocinationis ponit, scilicet, esse omnia remedia popularia, quae tuentur, maiestatem praetoris. Uideo quidem, eum prouocare ad actionem de albo corrupto et ad beneficium, quod competit ex edicto praetoris: quod quisque iuris in alterum statuit, ut ipse eodem utatur. Sed ne sic quidem, quod uoluit, perfecit. Nam, quod de ultimo praetoris edicto dicit, id, si quid uideo, huc plane non spectat. Primum enim, quis unquam dixerit, esse hoc edictum ad tuendam potestatem ius dicentis comparatum? Quin potius PAULVS <sup>o)</sup> nos docet,

<sup>o)</sup> c. quod et lex 3. §. hoc interd. 9. D. <sup>a)</sup> c. hoc edicto 2. D. Quod quisque de hom. libero exhib.  
<sup>o)</sup> c. lege agraria 3. pr. D. de termino mot. iuris.



cet, hoc edicto debere dolum ius dicentis puniri. Et ita est. Nam docent aperte verba Edicti <sup>b)</sup> ab VLPIANO tradita <sup>c)</sup>, coerceri eodem et dolum eius, qui ius nouum iniquum statuerit, et eius, qui illud impetrauerit. Dein etsi alios multos, ipsum tamen CUIACIUM non puto dissentientem me habiturum, <sup>d)</sup> si adseruerim, plane ex hoc edicto nullum singulare iuris remedium, neque actionem competuisse, quod HAHNIO <sup>e)</sup> WESTENBERGIO <sup>f)</sup> HEINECCIO <sup>g)</sup> et OSIO <sup>h)</sup> placuisse video, neque exceptionem, quod BOEHMERO <sup>i)</sup> videtur, de qua re erit nobis forte alio tempore vberior disputatio. De albo corrupto actionem quidem et ad vindicandam laesam praetoris maiestatem comparatam, et popularem esse concedo, quia expresse id dicit VLPIANVS, sed ab hac actione ad actionem contra eum propositam, qui ius dicenti non obtemperauit non puto argumentum duci posse, ob ea, quae supra (§. III.) hac de re disputauim. Porro tantum abest, vt, quod CUIACIUS adserit, omnes actiones, quibus defenditur potestas praetoris, populares sint, vt potius haec, qua alibi corruptio vindicatur, omnium huius generis actionum vnica videatur, quae patet cuilibet ex populo. Quare videamus de non nullis, quae huc spectant. Ita actio in factum aduersus hunc, qui vi eximit eum, qui in ius vocatus est, <sup>k)</sup> popularis non est, nec ipse CUIACIUS popularem eam dixit <sup>l)</sup>. Sed et in hac actione respexisse Romanos ad maiestatem ius dicentis, quae tali exemptione, nisi *απεσθως*, tamen indirecte, contemnitur, ex eo perspicitur, quod VLPIANVS <sup>m)</sup> neget, hanc actionem dari, si quis ad pedaneum iudicem vocatum eximat. Quare sicuti in honorem praetoris, aut alius, qui iurisdictioni praest, ex quacunque causa vocatus venire debet, etiam, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictione eius sit,

b) quod Edicto perpetuo HADRIANI demum adiectum esse coniecit BACH. *hiff. Jur. L. 2. c. 2. S. 3. §. 7. add. §. 14. lit. l. et L. 3. c. 2. S. 4. §. 7. contra eos, qui antiquissimum illud et tempore liberae reipublicae iam propositum cum CUIACIO in praefect. ad c. 1. D. d. r. censent, idque ex CIC. ad Q. Fratr. L. 1. Ep. 1. S. 7. probare volunt.*

c) hoc edictum 1. §. qui magistratum 1. D. cod. tit.

d) Quod conicio ex integra Summi viri praefect. ad d. r.

e) ad WESENBEK. d. r. n. 2.

f) ad D. eod. tit. §. 12.

g) ad D. ibid. §. 266.

h) loco, quem diximus supra (§. 2. b.)

i) ad D. b. t. §. 2.

k) de qua vid. c. Si per alium 5. §. in eum autem 1. D. Ne quis eum, qui in ius voc. est vi exim.

l) Conf. Lib. X. Obs. c. 15.

m) c. quod si seruum 3. §. si quis 2. D. d. e.

B



fit, \*) ideoque, qui non eunt, etiam si ex aliena iurisdictione ad praetorem vocentur, contemnere auctoritatem praetoris VLPIANO <sup>o</sup>) dicuntur, ita et, qui vocatum exemit, quum effecerit, quominus is potuerit praetori reuerentiam exhibere, videtur quodammodo contemnere auctoritatem praetoris. Ergo recte mihi videtur haec actio ad eas referri, quibus defenditur potestas ius dicentis. Sed addimus et aliam, ei, de qua iam sermo nobis est, multo magis similem, puta, iudicium in factum, quod praetor dat ex edicto, in eum, qui dolo malo fecit, quo minus quis permissu suo, eiusus cuius ea iurisdictione fuit, in possessionem bonorum sit, quanti ea res fuit, ob quam in possessionem missus est, quae ipsa sunt verba praetoris ab VLPIANO nobis seruata <sup>n</sup>). Pertinet certe haec actio ad tuendam potestatem praetoris, eiusque, cuius iurisdictione est, quum VLPIANVS doceat <sup>o</sup>), generale hoc esse edictum, et pertinere ad omnes, qui in possessionem a praetore missi sunt. Et conuenire praetori dicit, omnes, quos ipse in possessionem misit, tueri. Frustra enim in possessionem mitteret, nisi missos tueretur, et prohibentes venire in possessionem coerceret <sup>n</sup>). Ne ergo frustra mittat, id est, ut auctoritatem suam tueatur, summa prouidentia hoc edictum <sup>o</sup>) proposuit. Actionem vero hanc non esse popularem, sed iis tantum dari, qui missi sunt, ad id, quantum eorum interest possessionem habere, multis locis docemur <sup>o</sup>). Quare et vtilitatem creditoris continere dicitur <sup>o</sup>). Ex populari causa autem si debetur, ante litis contestationem non recte quis dicitur creditor <sup>o</sup>). Quid? quod datur haec actio et heredibus et similibus personis <sup>o</sup>), actio autem popularis heredibus dari, aut iure hereditario competere non potest, ut docet VLPIANVS <sup>o</sup>), et intelligitur ex natura actionum poenaliu, quae, quum per se dentur cuilibet ex populo, opus non est, ut iure here-

n) c. ex quacunq; causa 2. pr. D. Si quis in ius voc. non terit.

o) c. si quis ex aliena s. D. de iudic.

p) c. ait praetor 1. pr. D. Ne vis fiat ei, qui in poss. miss.

q) d. c. s. Est autem 2.

r) d. c. s. hoc interdictum 1.

s) Recte scilicet CUIAC. L. 5. Obs. c. 17. conicere videtur in d. c. 1. s. 1. Edictum legendum esse pro interdictum.

t) d. c. 1. s. est autem 2. et s. Haec verba s. c. Si quis. 3. s. Constitutum est.

1. et c. per. interdici. 4. s. fin. D. d. t.

u) d. c. 1. s. 5.

x) c. ut si 12. D. de V. S.

y) d. c. 1. s. hanc actionem s. D. ne vis fiat ei, qui in poss.

z) c. si vero plures. 54. s. haec autem actio s. D. de his qui effuder. vel dei. cui non contrariari s. fin. eiusd. cap. nec c. quaesitum est. 10. D. de sepulchro viol. ostendit LAVTERB. C. T. P. Tit. de Obligat. et Act. s. 72.



hereditario competere dicantur, nec possunt hoc iure competere, quum ante Litis contestationem in bonis non sint <sup>aa)</sup>. Quare, quum nec haec actio in factum sit popularis, nec ex vilo alio contemtu maiestatis praetoris, cuius plura genera ipse CVIACIVS recenset <sup>bb)</sup>, datur populare iudicium praeter vnicam actionem de albo corrupto, quae non potuit popularis non esse, quum per delictum, quod per eam coercetur, plane priuatus non laedatur, nec ideo priuati cuiusdam interfit, vt in illud animaduertatur, sane non video, quare hanc actionem voluerit Vir egregius esse popularem.

## §. VI.

Sed datur tamen haec actio, neque post annum, nec in heredes. <sup>a)</sup> Et, qui id nos docet, VLPPIANVS, in eodem libro, quo haec scripsit, ait quoque, communem hanc esse omnium actionum popularium naturam, vt neque in heredes dentur, neque supra annum extendantur <sup>b)</sup>. Est sane hoc alterum argumentum, quo vti- tur CVIACIVS ad firmandam sententiam suam, cui miror tantum ponderis tribui ab OSTIO, quantum certe scio nec ipsum CVIACIVM eidem tribui voluisse. Nullam enim ad probandum vim huic rationi inesse, quilibet perspicit, qui multo est tanto viro inferior. Nam, quod VLPPIANVS dicit, actiones populares esse annales, nec in heredes dari, id verum quidem esse concedo, paucis quibusdam exceptis <sup>c)</sup>, sed hoc, prouti est ab VLPPIANO enunciatum, nihil valet ad id, vt probetur, et haec actio esse popularis. Hoc enim si effici ex eo debet, quia est haec actio annalis, nec datur in heredem, conuertendum id erit, quod VLPPIANVS dixit, et hoc modo enunciandum; Quaecumque actio nec vltra annum datur, nec in heredes, ea est popularis. Quo facto, quis non videt, conuertendo falsum id fieri, quod contraria ratione positum verum erat? Quare, ne hoc fiat,

B 2

vetant

<sup>aa)</sup> c. *populares actiones* 32. pr. D. ad Legem Falcid. adde c. *populares actiones* 7. §. *item qui* 1. D. de popul. act.; iuncto c. vt si 12. D. de V. S.

<sup>bb)</sup> in praefect. prima ad Tit. D. Si quis ius dic.

<sup>a)</sup> C. vn. §. fin. D. a. t.

<sup>b)</sup> c. *omnes populares*. 8. D. de popul. act.

<sup>c)</sup> Sunt enim quaedam perpetuae vid. c. *praetor ait* 2. §. *hoc interdict.* 34.

et §. *interdict.* hoc. 44. D. Ne quid in loco publ. c. *praetor ait*. I. §. *fin.* D. de via publ. c. *quod et lex*. 3. §. *fin.* D. de hom. lib. exh. caeterum, quod VLPPIANVS in c. vn. §. *hoc interdict.* 10. D. ne quid in sum. publ. fiat. dicit, id interdictum dari in heredem quoque, id ita vult DION. GODOFRED. intelligi, vt supponat ibi, heredem factum defuncti continuare.



vetant Dialectici huiusce modi vti conuertendi genere. Ego vero nolo hoc in CVIACIVM dictum a me esse exilimari, de quo tam egregie sentio, vt tale quid ipsi tribuere nullo modo possim. Ipsum enim puto hoc tantum voluisse, ad commendandam magis, quam probandam opinionem suam, dicere; Si adsumis, esse hanc actionem popularem, poteris exinde facile, quare annalis sit, nec in heredem detur, intelligere. Et foret sane magna haec sententiae eius commendatio, si alia non posset commoda inueniri ratio, ex qua hoc vtrumque deduceretur et intelligeretur. Sed est sane alius fons, dum dicit <sup>a)</sup>: *et, quum meram poenam contineat, neque post annum, neque in heredem datur.* Quare, cur confugiemus ad popularium actionum naturam, quum sine hoc improbabili refugio omnia per se clara et perspicua sint? Tradit enim PAVLVS <sup>b)</sup>, CASSIVM iam in actionibus honorariis ita definiisse, ut, quae rei persecutionem habeant, haec etiam post annum dantur, *ceterae intra annum.* Honorarias autem quae post annum non dentur, *nec in heredem dandas esse.* Sed et haec ipse CVIACIVS alibi <sup>c)</sup> agnouit. En ergo rationem huius rei facis claram, quae et ipsa effecit, vt, quas supra (§. V.) cum hac actione comparauimus actiones, quasque similiter diximus esse ad tuendam potestatem praetoris comparatas, pari modo, nec vltra annum, nec in heredem concederentur <sup>d)</sup>.

## §. VII.

Denique in hoc argumento pertractando hoc quoque adiciendum esse putamus, nos quidem cum illis non facere, qui ex eo ipso, quod VLPIANVS definit, hoc iudicium non ad id, quod interest, sed, quanti ea res est, concludi, dicitque, hanc actionem non dari in heredes, cogi putant, hanc actionem popularem esse non posse. Dicunt enim, inutilem fuisse plane et otiosam vtramque disceptionem futuram, si actio fuisset popularis, quum nec popularis actio detur ad

a) c. vn. §. fin. D. si quis ius dic.  
 e) c. in honorariis 35. D. de Obligat. et Actio.

f) Scilicet in recitat. prima ad Tit. si quis ius dic.

g) Scilicet de actione, quae datur contra eum, qui in ius vocatum vi exemit, docet hoc VLPIAN: in c. si

per alium s. §. heredibus autem 4. D. ne quis eum qui in ius voc. qui et idem de actione in eum, qui dolo malo fecit, quo minus quis permittit praetoris in possessionem bonorum sit, praedicat in c. ait praetor. l. §. hanc actionem 3. D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss.



ad id, quod interest, nec in heredem, neque fuisse adeo opus futurum, hoc quod in omnibus euenit actionibus popularibus, seorsim in hac notare. Hoc inquam ratiocinium meum non facio, nec puto sic recte contra *CVIACIVM* disputari. Nam, ad primam quod attinet quaestionem, quam *VLPIANVS* tangit et decidit, quae est de eo: an hoc iudicium detur ad id, quod interest, falsum est, quod putant, hanc quaestionem plane non posse cadere in actiones populares. Nam, quod supra (§. III.) obseruauimus, dantur non tantum actiones populares, omnino iis etiam, quorum interest, verum quoque hi ipsi, tanquam idoneiores, praefertuntur a praetore, si plures sunt, qui simul agere velint, \*) nonnullaue personae plane ad agendum non admittuntur, nisi earum interfit <sup>b)</sup>). Dein vero sunt omnino actiones populares, in quibus agitur ad id, quod interest. Ita in interdicto, quo praetor prohibet, in loco publico quid fieri, quo illi damnum detur, condemnatio ex eo fit, quod actoris interest <sup>c)</sup> et perinde quoque interdictum, quod de via publica et itinere publico rescindendo praetor proposuit, habet condemnationem in id, quod actoris intererit <sup>d)</sup>. Quare, si vel maxime esset haec actio popularis, tamen non inepte, nec otiose quaerere poterat *VLPIANVS*, an detur ea ad id, quod interest. Non minus ergo errant et hi, qui contraria ratione dicunt, hanc actionem, quia non tendat ad id, quod interest, esse popularem, quod fecit *SCHOFFERVS* <sup>e)</sup>. Minus peccare in hoc genere videntur, qui ex eo, quod haec adiecerit *VLPIANVS*, colligi posse cum *HVBERO* <sup>f)</sup> dicunt, non dari hanc actionem ipsi magistratui, cui obtemperatum non est, quod putarunt non nulli <sup>g)</sup>. Dein vero, nec alterum, quod dicunt, inepte *VLPIANVM* de eo fuisse disceptaturum; vtrum haec actio in heredem daretur, si eam popularem esse sciuisset, multum valere puto, ad probandum id,

B 3

- a) c. sed. ff. 2. §. in popularibus. 1. iuncto c. si plures 2. D. de popul. act. adde c. sepulchri violati. 6. D. de sep. viol. e. quod et lex 3. §. Si tamen plures 12. D. de hom. lib. exhib. c. si vero plures 5. §. haec autem actio 5. D. de his, qui effud. vel detec.  
 b) c. mulieri et pupillo 6. D. de popul. act. c. quod et lex 3. §. sed et si 11. D. de hom. lib. exhib.  
 c) c. praetor ait 2. §. hoc. interd. 34.

- et §. interd. hoc. 44. D. ne quid in loco publ.  
 d) c. praetor. ait 1. §. D. de via publ.  
 e) in Synops. pand. Tit. Si quis ius dic. n. 2. Sequitur est hac in re *HAHN*. ad *WESENB.* eod. tit. n. 2. qui hoc argumentum quintum fecit.  
 f) in pracl. ad D. Tit. si quis ius dic. n. 3.  
 g) ex quibus hoc loco tantum nonino *STRVV.* in *Evolut. controvers. ad Exercit. 4. th. 35. qv. 1.* *SCHILTER Exerc. 6. th. 29.*



id, quod voluit. Primum enim non quasi rem dubiam hoc proponit, definitque, sed obiter tantum et *ἀς ἐν παροδοῖ* hoc monere videtur; Nam quum dixerat, actionem hanc esse mere poenalem, non magis opus erat, vt adiceret, eam in heredes non dari, quam si vere popularis esset. Quod ipsum putamus *ἡντιον* quoque respondit posse ad id, quod de prima quaestione mouit, vt paullo antea diximus. Dein inuenimus, idem haud infrequenter *ἰκτὸς* nostros fecisse in aliis actionibus, quae sunt sine dubio populares, vt adirent in heredes eas non dari, <sup>h)</sup> sicuti frequenter quoque fieri in aliis rebus intelligit quisque, vt adiungamus ea, quae per se quidem ex iis, quae ante diximus, coguntur, non quasi de iis dubitari posset, sed ideo, quia naturali ratione cum iis, quae diximus, cohaerent. Denique poterat et fortior ratio his omnibus iungi, si quis id, quod *ὑπερὶ τοῦ ποταμοῦ* adserit de interdicto: ne quid in flumine publico fiat, dari illud et in heredem, <sup>i)</sup> nollet cum restrictione *ἰκτὸς*. *ἰκτὸς* GODOFREDI intelligere <sup>k)</sup>, ideoque inde inferre, dari quoque actionem certe ex hoc interdicto popularem quidem, sed in heredem tamen.

## §. VIII.

Quibus ita disputatis causa nostra aduersus *ὑπερὶ τοῦ ποταμοῦ* perorata videri poterat. Sed eandem opinionem cumulo argumentorum firmare conatus est *ἡντιον*, <sup>l)</sup> licet *ἡντιον*, qui omnia ea quoque adduxerat, in contrariam sententiam iuerit. Paucis ergo his quoque satisfacere studebimus. Primum in rem suam argumentum hoc est: Hac actione non priuatus et litigator se ab iniuria, sed ipse magistratus a contemtu iurisdictionis tuetur. Sed quid hoc ad rem tuam? doctissime *ἡντιον*! Ex eo enim, quod dicis, facilius colligere poteras, ipsi magistratui actionem hanc dari, quam popularem eam esse. Dein, nec hoc verum est, nec vlla vis est huius argumenti, quum et alia sint remedia, quibus defenditur potestas ius dicentis, quae tamen nihilominus popularia non sunt. Sed de his supra (§. V.) disputauimus. Denique et haec actio vtrumque tuetur, et litigantem, qui vicit, et ius dicentem, sicuti et reliqua remedia, quae dantur ad defendendam auctoritatem ius dicentis, si laesa

<sup>h)</sup> Vid. c. Si vero plures. s. §. haec autem actio. s. item §. ult. D. de his qui effud. vel dei.  
<sup>i)</sup> *ἰκτὸς* hoc interd. 10 D. ne quid in flum. pub.

<sup>k)</sup> Vid. Supra §. VI. lit. c. extr.

<sup>l)</sup> ad *ἡντιον*. tit. Si quis ius dic. n. 2.







sed id inde, quod ipse tamen non vis, conficeretur, dari eam ipsi magistratui, quem tu vnicè hoc contemtu laesum putas. Quod quinto loco obiicis, popularem eam esse, quia non detur ad id, quod interest, de eo breuiter hic moneo, dupliciter te errare. Primum in eo, quod putas, actionem popularem plane non dari ad id, quod interest, de quo supra (§. VII.) dixi, dein, etiam si verum hoc esset, tamen in dialecticorum regulas te impingere, quum ex eo colligere vis, omnem, quae non detur ad id, quod interest, actionem esse popularem. Quod vltimo et sexto loco ponis argumentum, aut plane non intelligo, aut nulla ei vis inest ad efficiendum id, quod putas. Nullibi enim dicitur, ais, an haec actio heredi quoque detur? An ergo ex eo conficitur: ideo nec dari hanc actionem heredi? Ego vero aio, dari omnino heredi. Nec opus erat, vt **VLPIANVS** hoc adiceret, quum tirones sciant, certissimi iuris esse, actiones, quae a praetore dantur ex maleficiis, in heredem rei non quidem competere, sed heredibus actoris huiusmodi actiones competere, nec denegari<sup>1)</sup>. Sed, quum meram poenam hanc actionem continere dixerat, **VLPIANVS**, nonne hoc sufficiebat, vt ex eo intelligi posses, dari hanc actionem heredi? Nam quod ordinarium est, et omnibus actionibus ad hoc genus spectantibus commune, id in singulis anxie repetere, foret inanis diligentiae. Sed et in hoc argumento dialecticorum praecepta parum videris curasse. Verum est, actiones populares heredibus non dari, vt supra (§. V.) diximus. Sed falsum est, quod tu inuersa ratione ex eo confici putas, quae heredibus non dentur actiones, eas populares esse. Quare, quae de enunciationum conuersione inconcinna et incongrua (§. VI.) dixi, ea hoc loco in te dicta esse volo. Quod si vero ne haec quidem satis perspicua videntur, quaero ex te, an iniuriarum actio sit popularis? Miraris! At heredibus certe non datur<sup>2)</sup>. Sed quum nihilominus popularis non sit, patet vel solo hoc exemplo, recte se habere ea, quae hac de re monui. Itaque iam et te, **HANNI**, dimitto, intelligentiumque iudicio committo, num satis, si quae fuerit, vim argumentorum tuorum fregerim. Quare iam progrediamur ad alteram, quam diximus, quaestionem.

## OBSER-

<sup>1)</sup> verba sunt **TRIBONIANI** in §. non omnes autem i. l. de perpet. et temp.

actio.

<sup>2)</sup> d. §. i. l.



## OBSERVATIO ALTERA

DE GENERE CONTVMACIAE QVOD PRAETOR HOC  
EDICTO COERCERI VOLVIT.

**Q**uodsi vero quaeritur, quidnam sit illud contumaciae genus, quod praetor hoc edicto coerceri voluit, versatur omnis quaestio in interpretatione verborum, quibus VLPIANVS id ipsum, quod quaeritur, explicauit. Qua in re quum videamus in tot diuersas partes abire Ictos nostros, optime putamus rem expedire nos hac ratione posse, vt propositis ipsis VLPIANI verbis primum, quantum sentiant, videamus, quam varie Doctores de eorum interpretatione sentiant, dein exponamus, quae nobis pro ingenii modulo ex his omnibus optima videantur, tum quare haec potissimum placeant tradamus, denique quid in reliquis Doctorum expositionibus et quare maxime illa displiceant, declaremus. Verba autem VLPIANI, de quibus disputatur, haec sunt:

CAP. VN. §. I. II. SI QVIS IVS DICENTI NON  
OBTEMPERAVERIT:

EX

VLPIANI LIB. I. AD EDICT.

**I**uridicum videtur ius dicenti non obtemperasse, qui, quod extremum in iurisdictione est, non fecit; voluit, si quis rem mobilem a se vindicari passus non est, sed duci eam vel ferri passus est; caeterum, si et sequentia recusauit, tunc non obtemperasse videtur.

§. II.

Primum igitur est, vt diximus, vt videamus de varia et multiplici ratione, qua doctores haec verba interpretari conati sunt. Sed de hoc ipso, quantum licebit, videbimus. Nam non is ego sum, qui, omnia me legisse, et scire omnia iactem. Nec id ipsum, quod expectari a me forte iure poterat, si daretur instructissimas adire

C

biblio.



bibliothecas, praestari a me poterit, quum, praeter paucos illos, quos pro rerum mearum et temporum conditione, comparare potui, libros, omni praesidio literario destitutus sim. Quae vel ideo monere debui, ne forte quis aut magnificentius ab initio de opera nostra sentiret, quam nos quidem meremur, aut, dum ad finem perueniret, negligentiae tribueret, quod erat temporibus et fortunae tribuendum. Rem igitur adgrediar, et, quantum potero, praestabo, ne voluntas etiam defecisse videatur. BARTOLVS autem, quem ob temporis rationem primum nomino, sex recenset varias opiniones et explicationes <sup>a)</sup>, in quibus sunt quoque IOANNIS et BVLGARI interpretationes. Sed his iam non immorabimur. Ipse quidem putat, in hoc edicto praetoris omnem contumaciam coerceri, in quacunque parte iudicii admissam. Dein Cl. EV. OTTO <sup>b)</sup> me docet, ALCIATVM <sup>c)</sup>, (quem ipsum adire, ob rei literariae penuriam, non datur) verba VLPiani, reiectis IOANNIS, BARTOLI, BALDI interpretationibus, ita intelligere, vt dicat, eum non facere, quod extremum in iurisdictione est, qui rem, quae vindicatur, dicat apud se non esse, sed ab aliis sese mouentem abduci, aut mobilem auferri patiatur; sequentia autem recusare eum, qui quanti maximi in litem iuratum est, vel id, quod interest, si dolus absit, non praestet. Excipiat ALCIATVM alter iurisprudentiae restaurator, magnum nomen, CVIACIVS, qui <sup>d)</sup> verba VLPiani, periunde vt TRYPHONINI alio loco <sup>e)</sup> ἐλλειψιῶς interpretari conatur, hoc modo: Si quis rem mobilem vindicare a se passus non est, sed duci eam vel ferri passus est, scilicet ab apparitoribus, facta exequutione, ius dicenti, (en ἐλλειψίῳ) obtemperasse videtur; caeterum, si et sequentia recusavit, i. e. si rem duci aut ferri, si possessionem transferri in aduersarium, qui vicit, passus non est, si resistit manui militari magistratus, si executionem fieri passus non est, tunc non obtemperasse videtur. Qua in re sequutum se esse BVLGARVM, ipse fatetur. Post CVIACIVM autem, tanti nominis comitem, multos BVLGARVM, illius magis, quam huius nominis celebritati motos, sequutos esse, quis mirabitur? Ex multis autem paucos nominabo: VLR. HVBERVM <sup>f)</sup>

IVST.

- a) in *Comment. ad D. h. t. Tom. I. Oper. Basil. 1589.* a BREDERODIO editor. p. 139.  
 b) in *Praef. ad Tom. 5. Thes. praesantissimi* p. 37.  
 c) *Lib. 2. Paradox. c. 15.*  
 d) in vtraque recit. ad h. t. D. et L. 24. *Obs. c. 25. et c. 31. item Lib. 19. c. 7.*  
 e) Scil. in *Lib. 4. Disputat. in c. in bello* 12. *De capt. et postlim.*  
 f) in *praefect. ad D. h. t. §. 2.*



IVST. HENN. BOEHMERVM <sup>g</sup>), CORN. VAN ECK <sup>h</sup>), IOS. AVERANIVM <sup>i</sup>), qui et BELLONIVM in suas partes nominat, PETR. PERRENONIVM <sup>k</sup>), GVIL. FORNERIVM <sup>l</sup>), LVDER. MENCREN <sup>m</sup>), IAC. FRID. LVDOVICI <sup>n</sup>), GEORG. FRANZKIVM <sup>o</sup>), MATTH. WESENBEQIVM <sup>p</sup>), GEO. AD. STRVIVVM <sup>q</sup>), IO. SCHILTERVM <sup>r</sup>), IO. GOTTF. SCHAVMEVRG <sup>s</sup>), SAMVEL. STRYCKIVM <sup>t</sup>), IO. IQACH. SCHOEFFERV <sup>u</sup>), IO. HENR. DE BERGER <sup>v</sup>), qui omnes extremum in iurisdictione volunt executionem esse identice et OSIVM AVRELIVM sensisse ex iis adparet, quae statim in initio <sup>w</sup>) quum contra MERILLIVM disputat, hac de re profert, nec aliter haec verba explicasse puto LVD. CHARONDAM, quum VLPANVM intelligat de imperio mixto loquentem <sup>z</sup>). Ἐλλειψιν autem in primis CVIACII, cuius, quos huc vsque nominavi, expresse mentionem non faciunt, in primis defendit, qui raro alias cum CVIACIO sentit, FRANC. DVARENVS <sup>aa</sup>), quod vt faciat, vt recte dicit EV. OTTO <sup>bb</sup>), eruditius confugit ad σχῆμα oratorium, Atticis familiare, quod ἀνατὰ πόδας dicitur, et multus est in nominandis veterum graecorum locis, quibus solis omissis, curate eum, vt ab initio dixi, exscripsit PETR. GRANGIANNVS <sup>cc</sup>). Eandem quoque interpretandi rationem, multa eruditione perpolitam tradidit Celeb. GER. NOODT <sup>dd</sup>), qui *extremum* hoc loco putat ex veterum philosophorum more dici, qui, quod actionis cuiusque finis, siue actionis cuiusque causa, siue quod in actione est optimum, eius extremum adpellant, quod variis locis ex CICERONIS libris adductis eleganter, vt solet, demonstrat, ideoque iurisdictionis extremum esse apud VLPANVM executionem seu finem, ob quem ius dicitur. (Quae LYCKLAMA <sup>ee</sup>) hac de re disputavit, non vidi, sed hoc scio, auctore, quem saepius et nunc quoque honoris

C 2

- g) in Intrad. in Ius Dig. h. t. §. 1.
- h) Princip. iur. Ciu. sec. ord. Pand. h. t. §. 1.
- i) Interp. iur. L. 1. c. 4. n. 42.
- k) Animaduers. et var. lect. Lib. 1. c. 20. in Thes. OTT. T. 1. p. 619.
- l) Selection. Lib. 1. c. 18. eod. Thes. Tom. 2. p. 27.
- m) in Theor. et Prax. Pand. h. t. §. 1.
- n) in Doctr. Pand. ibid.
- o) ad D. h. t. n. 3.
- p) ad D. h. t. n. 5.
- q) in Syntagm. iur. Ciu. Exerc. 4. thes. ult.
- r) in praxi iuris Rom. Exerc. 6. tb. 29.
- s) in Compend. iur. Dig. h. t.
- t) in not. ad compend. LAVTERB. h. t. in Thes. MOLENBECH p. 100. not. 1.
- u) in Synops. Pand. n. 1.
- v) in Occon. iur. L. 4. T. 3. §. 4. extr.
- w) Scil. in disputatione ad MERILL. disputatione 6. in Thes. EV. OTTON. Tom. 3. pag. 708.
- z) in libello de iurisdic. et imperio n. IV. apud EV. OTTONEM. Tom. 1. Thes. pag. 841.
- aa) Lib. 1. Disputat. amro. c. 50.
- bb) in praef. ad Tom. 5. Thes. p. 35.
- cc) in paradox. iur. ciu. c. 47. Tom. 5. Thes. OTTON. pag. 697.
- dd) in Comment. ad D. h. t.
- ee) L. 5. membran. ecl. 10.



ris causa nomino, EV. OTTONE <sup>ff</sup>), nihil ei videri absurdius, quam  
 vt praecedentia intelligamus per sequentia, ideoque ipsum ex-  
 tremum in iurisdictione interpretari pignoris capti venditionem  
 vel additionem. Ipse quoque Clar. EV. OTTO <sup>gg</sup>) suam exponit sen-  
 tentiam, ita, vt verba VLPIANI hoc modo circumseribat: Si quis  
 rem mobilem petitori post sententiam ad iussu praetoris non resti-  
 tuit, sed eam animalem a furibus vel raptoribus abduci, inanima-  
 tam auferri passus est, praestabit, quanti victor in litem iurauerit,  
 quod si vero et haec sequentia reculat, tunc edictum offendit, et  
 praeter illa, quanti ea res est, id est, quanta est contumacia non  
 obtemperantis, quantusque est praetoris contemptus, condemnabitur.  
 Quae interpretatio videtur maxime esse ex ALCIATI et CUIACII opi-  
 nionibus composita. Certe extremum in iurisdictione idem hoc lo-  
 co se cum CUIACIO intelligere, diserte adfirmat. De executione  
 quoque VLPIANVM loqui, adserit REINH. BACHOVIVS <sup>hh</sup>), attamen non  
 plane illud extremum ad executionem restringi vult, sed omnino,  
 ait, omne illud extremum hic dici, de quo expediendo, siue in iure, si-  
 ue in iudicio, tractatur, ideoque (ita enim legendum puto, pro eo-  
 que, quod scriptum inuenio) omnem eum hac actione teneri, qui con-  
 tumacia sua efficit, quo minus magistratus ad id, de quo apud ipsum  
 agitur, peruenire queat, ideoque, etiamsi tantum de extrajudiciali  
 actu tractetur, v. c. mittendo in possessionem ex primo decreto, immo  
 si tantum v. c. de cauendo damni infecti, edicto huic et poenae locum esse  
 vult, idque DVARENO non displicere contendit. Quae ideo tam la-  
 te exscripti, quia eadem videtur esse et HAHNII <sup>ii</sup>), et LAVTERBACHII  
<sup>kk</sup>) sententia, quam tamen vterque breuiter et obscuriuscule expo-  
 nit. Similia quoque OLDENDORPIVM <sup>ll</sup>) sensisse conicio, quem vel-  
 lem me ipsum inspicere posse, quum SCHILTERVS <sup>mm</sup>) vnum eum  
 hanc actionem recte explicasse dicat. Sed multo magis quaeror,  
 non posse me ANTONII FAERI Rationalia enoluere, quum ex ipso  
 BACHOVIO, illum notantem <sup>nn</sup>), coniciam, eum VLPIANVM nostrum  
 paullo aliter explicare. Sed est mihi nec huius libri copia, quem  
 magni

ff) in praef. ad Tom. V. Thef.

gg) eo, quem modo dixi, loco.

hh) ad TRÉVTLER. Vol. I. Disp. 4. ab.

ii) ad WESENBEC. h. t. s. f. Extr.

kk) Coll. Theor. praef. s. t. s. 3. i.

ll) de act. r. n. 4. vti ex multorum ad-

legationibus mihi constat.

mm) loco, quem paullo antea dixi.

nn) Notat illum iam eo loco, quem

dixi, sed pluribus eum notare EV.

OTTO dicit in Comment. ad D. qui

liber mihi ad manus non est.



magni facio, et impenso studio hucusque, sed frustra, quaesivi.  
Denique IO. GOTTL. HEINECCIUS <sup>oo)</sup> dicit, extremum in iurisdictione esse sententiam, adeoque et eum, qui in causa est, ut executio aduersus ipsum decernatur, hoc edicto teneri.

§. III.

Sed in hac non plane exigua nec contemnenda Doctorum et Interpretum copia, mirari quis poterat, neminem esse, qui VLPIANO nostro vim inferat, eique manum iniiciat, inque verba ipsius faeuat, qui abscindat, vret, fecet. Sed desine mirari, amice lector. Nam, quod mirandum omnino et maxime foret, non est inuicem VLPIANVS noster, ne hoc quidem loco, ab audacia, temeritate, saeuitia huiuscemodi criticorum chirurgicorum. Qui, quum noluerim eos reliquis interpretibus immiscere, iam quantum mihi innotuerunt, prodeant in scenam. Mitto quidem iam illam voculi *tamen*, in *tantum* mutationem, qua efficere non nulli voluerunt, ut Duumviris quoque concedatur, iurisdictionem suam hoc poenali iudicio defendere, quod VLPIANVS, si sequimur Codicem Florentinum, iisdem denegauit. Horum enim manum medentem ea, quae medicina non indigent, arcuerunt dudum viri docti, ANTON. AVGVSTINVS, <sup>a)</sup> et IOAN. KOOLIVS <sup>b)</sup>. Sed subsisto in illa particula, ab initio proposita, quam, licet sanam, sanare tamen voluerunt HOTMANVS et RANCHINVS, uterque transpositione verborum, sed singuli alio modo. De HOTMANNO <sup>c)</sup> quidem conatu exposuit EV. OTTO <sup>d)</sup>, qui transposuisse eum dicit particulam *non* in secunda periodo, vt ita legatur: *vindicare a se passus est, sed duci eam vel ferri non passus est.* Quam quidem audaciam in HOTMANNO non adeo miror, quippe qui similes transpositiones non modo varias tentauit <sup>e)</sup>, verum quoque, quod maioris est temeritatis, particulam

C 3

non,

oo) ad D. h. t. §. 268. et 270.

a) Lib. 3. Emandat. c. 6. extr. in Thes. OTT. Tom. 4. P. 1515.

b) ad Leg. Ateriam Turpeiam de mul. Cit. c. 4. ibid. Tom. 5. P. 1536. quid ergo de PETRO. PERRENONIO dicendum erit? qui, reiecta hac corruptione, nihilominus hoc Edictum ad

Duumviros extendit in animaduers. c. 20. in cod. Thes. Tom. I. p. 617.

c) Lib. 8. Obseru. c. 12.

d) in praef. quam saepius indicaui. Sequi autem huius viri fidem cogor, quam ipse tantum quinque priores libros obseruationum possideam, quos sub hasta emi.

e) Vid. Lib. 3. Obseru. c. 27.



non, prout lubet, nunc tollit<sup>f)</sup>, ubi est, nunc, ubi non est, inferit<sup>g)</sup>. Aliam, non tamen abfimilem, viam ingressus est GVIL. RAN-  
CHINVS, <sup>h)</sup> qui, quum ZASIO, ALCIATO, BARONI, DVARENO, aliis,  
in elicienda horum verborum sententia, inani, quod dicit, opera,  
desudantibus, negotium dedisse negatinam: non animaduertit, qua-  
si arbiter huius rei VLPIANVM inter et interpretes, nimium forsitan  
anxios intercedens, locum huius particulae in prima periodo mutare,  
nullus dubitat, huncque in modum eam ex fine prioris clausulae re-  
trotrahit, vt legat: *It non videtur ius dicenti non obtemperasse, qui,  
quod extremum in iurisdictione est, fecit.* Nec his quidem contentus,  
in corrigendo, si Diis placet, aut si maius, corrumpendo, loco,  
pergit, putatque, in sequentibus VLPIANI verbis: *Cacterum si et  
sequentia aut tollendam esse dictionem et, aut pro: et sequentia le-  
gendum: consequentia.* Ipse autem ad IO. ROBERTVM prouocat, hanc  
lectionem veterum codicum excussorum auctoritate fulcientem et  
firmantem, id quod hunc, certe quod ad transpositionem particulae:  
non attinet, fecisse<sup>i)</sup>, testatur EV. OTTO. <sup>k)</sup> Et tantum quidem de  
aliorum opinionibus dixisse sufficiat.

§. III.

Iam vero, vt erat propositum, exponendum erit, quid ipse sen-  
tiam. In qua re versabor ita, vt ex omnibus, quae huc vsque pro-  
positi, variis variorum opinionibus, prout mihi quidem videtur,  
optimum eligam, vt ita adpareat, nihil in me valere vllius viri  
auctoritatem, nec vllius nominis celebritate me moueri, sed, quod  
maxime studeo, solius veri amore me duci. Quare facilius puto,  
veniam me esse impetraturum, si in eo ipso, quid in quaque re verum  
sit, errauero, quod quidem qui me docuerit, habebit certissimum  
me comitem, et ipse me ei mirum in modum profitebor obstrictum.  
Maius enim vix puto in me conferri posse beneficium, quam id, vt  
quis vera mea doceat, erit autem id certe maximum, si quis, quum  
antea erraueram, ex errore in veritatem me ducat. Ego vero hanc  
mentem

f) quod tentauit, v. c. in *Lib. 1. Obs.*  
c. 3. et 4. item *Lib. 4. c. 30.*

g) Exempla sunt in *Lib. 1. Obseru. c.*  
20 et 34. *Lib. 3. c. 2. Lib. 4. c. 12.*  
et 28.

h) *Lib. 3. variar. lection. c. 15. in*  
*Thes. OTT. Tom. 5. p. 970.*

i) *Lib. 4. Sententiar. c. 21. et Lib. 2.*  
*Receptar. lect. c. 8.*

k) in *praef. Tom. 5. Thes.*



mentem puto fuisse VLPANO: *It videtur*, in hoc certe edicto <sup>a)</sup>,  
*iur dicenti non obtemperasse*, illiusue hoc loco contumacia coereetur,  
 qui sententiae non paruit, ideoque, *quod extremum est in iurisdictione*,  
 seu in quo finis et ultimum iurisdictionis consistit, *non fecit; ve-*  
*luti*, vt exemplo hoc declaretur, *si quis de re mobili quadam, quam*  
*suam esse putat, iure quiritium coram praetore lege agenti, et post-*  
*quam praetor sententiam definiuit, esse rem illam agentis eamque ad*  
*eum pertinere iure domini, actori rem illam secundum sententiam*  
*petenti et apprehendere volenti restitit, adeoque rem illam mobilem vin-*  
*dicari a se passus non est, sed demum, quum ad exequutionem res red-*  
*dit, duci eam, si forte animalis fuerit, aut si inanimis, ferri ab adpa-*  
*ritoribus, manuque militari passus est. Caeterum (i. e. alioquin au-*  
*tem) si non modo sententiae latae ex praescripto praetoris non paru-*  
*it, sed et manui militari resistit, ideoque sequentia, quae scilicet*  
*sententiam latam sequuntur, recusauit, tunc quoque non obtemperas-*  
*se videtur.*

## §. V.

Sequitur iam, vt huius *παράφρασις* rationes paullo vberius  
 explicemus, quo adpareat, quibus argumentis opinio nostra in singu-  
 lis, quae diximus, fulciri possit et roborari, cui tractationi iunge-  
 mus in quaestione id, quod ultimo loco, ut diximus, exponen-  
 dum erat, hoc modo vt, dum nostra firmemus, in singulis simul,  
 quid in aliis, et quare, improbandum nobis videatur, tradamus.  
 Primum autem, quum *extremum in iurisdictione* sententiam dico,  
 non exequutionem esse, facio contra CVVIACVM, et sequor non mo-  
 do HEINECCIUM, sed et alium virum, quem maximi facio, quique  
 duxit me ipsum primum in iurisprudenciae adyta, quem ideo sequi,  
 pulcrum mihi duco. Nominabo eum, cuius nomen si reticere vel-  
 lem, pietatem violarem, quum vero adponam et officio satisfacere  
 et pagellas haec exornare mihi videor. Est autem is Vir Excellen-  
 tissimus Iuris consultissimus, doctissimus GVSTAVVS BERNHARDVS  
 BEGMANNVS Almae GEORGIAE AVGVSTAE, cuius grata et iucunda  
 erit per omnem vitam mihi memoria, inter tot ICtorum decora  
 ornans, quem patria, et adfinitatis vinculum, multaque et innume-  
 ra in me meosque beneficia, indissolubilisque amicitia quam archissi-  
 me

a) Vario enim et alio interdum sensu  
 dici quem ius dicenti non obtempe-

rare obseruauit CVVIAC. in *recitat.*  
*prima ad h. r.*



me mihi iungunt. Ex huius olim Praeceptoris Suavissimo ore hoc quoque hausi, sicuti et eum sequutus sum in ea quaestione, quam in Obseruatione prima tractavi. Caeterum videtur quoque BACHOVIVS et, qui eum sequuti sunt, HAHNIUS et LAUTERBACHIVS, dum nolunt extremum illud ad solam executionem restringi, parum abesse a nostra interpretatione. *Extremum* autem hoc loco sententiam esse, ex eo puto colligi posse, quod adiungatur iurisdictioni. Iurisdictionem autem, licet in magistratu cum imperio coniuncta esse debeat, tamen, si strictissime intelligatur, ab ipso imperio, certe quod ad notionem, sciungendam esse, ex multis locis iuris nostri constat <sup>a)</sup>, et dudum docuerunt viri iuris doctissimi, inter quos principem huius aetatis summum GEORG. CHRISTIAN. GEBAVERVM <sup>b)</sup> Virum Illustrem, venerandum Senem, Fautorem, Praeceptorem meum nominasse sufficiat. Quare, quum tutissimum uideatur, verbum strictissime et maxime proprio sensu adcipere, quoties non potest aperte demonstrari, latius eius significationem esse adsumendam, <sup>c)</sup> nec puto hic facile derelinquendam esse propriam huius vocis significationem, nec ausim dicere, *extremum* in iurisdictione idem esse VLPIANO, quam executione, quum haec ad imperium spectet, eamque si voluisset denotare, potuerat cum IAVOLENO <sup>d)</sup> curatius dicere: *imperio magistratus non parere*. Quum vero, ubi iurisdictione definit, ibi incipiat imperium, in quo desinit ius quoque videor *extremum* in iurisdictione intelligere, in quo desinit ius dicens exercere iurisdictionem et progreditur ad imperium. Quare hic puto ius dicenti non obtemperare, seu non facere id, quod *extremum* est in iurisdictione, idem esse, ac, quod alio loco VLPIANVS dicit <sup>e)</sup>, *decreto praetoris non obtemperare*. *Extremum* autem sine quis cum CUIACIO intelligat, secundum vulgarem usum, quod in sine positum est, sine quis cum NOODTIO ex philosophorum more interpretetur id, ad quod tendit aliquid, et propter quod comparatum est, perinde

<sup>a)</sup> Vide inter alia, si lubet, c. *quaecumque specialiter* 1. extr. et c. *mandatam sibi* 5. §. *mandata* 1. D. de offic. eius cui mand. est iurisd. c. *imperium* 3. et c. *tubere caueri* 4. D. de iurisd.

<sup>b)</sup> in *Dissert. de iurisd.*

<sup>c)</sup> Ita praecipunt Dialectici, ex quibus imprimis nomino, qui insigniter de arte interpretandi meriti sunt, Clariss. Viros Academiae Lipsientis Decora S. V. CRYSIVM in libro, quo

tradidit dialecticam artem sub titulo: *Weg zur Gewißheit und Zuverlässigkeit* §. 641. et S. V. ERNESTI in *Institis solidioris doctrinae Dialect.* §. 32. et §. 151. qui posterior locus huc omnino spectat.

<sup>d)</sup> c. *non potest*. 199. D. de divers. reg. iur.

<sup>e)</sup> c. *iniuriarum actio* 13. §. *Si quis* 2. D. de iniur.



perinde erit, neutrumque nobis oblatit f). Nam nec hoc posteriori sensu dici potest, iurisdictionem tendere ad executionem, aut esse eam propter executionem institutam comparatamque, sed ad id potius tendere et propter id comparata dici potest, ut, quid iustum sit in quavis causa, sciatur, id ipsam autem quale sit, sententia declaratur. Id vero quod BARTOLIUS dixit et multi, quos nominat, putarunt, extremum iurisdictionis et ad initium posse et ad quamvis partem iudiciorum referri, incongruum videtur et satis est a CUIACIO g) refutatum, cui hoc tantum addo, fundari haec et niti in illa vocis *extremi* etymologia, quam BACHOVIVM video IASONI tribuere, qua putarunt *extremum* dici, quasi *extra medium*, quidquid ab utraque parte est. Male! Nam *extremum* non ex duabus vocibus compositum est, sed descendit a voce: *exter*, aut *exterus* perinde ut *postremus* et *supremus* derivantur h). Id quoque, quod CUIACIUS dicit, probò, *extremum* nunquam dici primum, nec duplicem esse hanc huius vocis significationem, quam vocis *ultimi* esse nemo ignorat. Nam, quem unicum CICERONIS locum i) adduxit princeps litteratorum SUMMUS ERNESTI k) Vir S. V. illud non satis probare credo l). RANCHINI denique correctio licet vel maxime ROBERTI codicibus quibusdam, iisdemque ne quidem MStis, firmata nihil certe puto contra Florentinam lectionem, sanam omnino, valere, quare et recte hanc reiecit CUIACIUS m). Caeterum, quod CUIACIUS dicit,

ideo

f) Licet malim hac in re cum CUIACIO sentire, quum, quod illam significationem magis Philosophis veteribus quam Ictis propriam habeam, tum, quod dubitem, an recte hoc sensu dici possit *extremum* in iurisdictione, sed puto dicendum fuisse *extremum* iurisdictionis. Hanc certe constructionem et compositionem verborum servavit CICERO, ad quem prouocat NOODT.

g) in *repetit. praelect. ad h. t.*

h) Vid. GESNERI *Thef. ling. et Erud. Rom. h. v.*

i) Scil. *Orat. pro L. Manil. c. 10.*

k) in *Clav. Cic. Ind. Latin. h. v.*

l) Potest enim *extrema pueritia*, qua militem fuisse summum Imperatoris POMPEIUM dicit CICERO, certe in

utramque partem et prima seu iniens, et postrema seu exiens intelligi, et malle ego hoc ultimum praeferrere, quod et GESNERVM probasse video in *Thef. ling. et Erud. Rom.* Certe in prima et ineunte pueritia vix miles quis dici potest, nec CICERONEM hoc voluisse de POMPEIO adferere, ex eo conficito, quod is paullo ante eum dicat: e ludo ad pueritiae disciplina in militiae disciplinam profectum esse.

m) Qui satis acriter in *repet. prael. ad h. t.* scribit: Florentinorum librorum auctoritatem nemo eleuat, nisi demens sit, et *sera in orbe natum* vocat, cui illa altera lectio placuit quod vel in ROBERTVM vel in RANCHINVM dictum esse voluit.

D



ideo Duumiris non datum fuisse poenali hoc iudicio suam defendere iurisdictionem, quia non habebant manum militarem propriam, id magnam vim habere putarem, si hoc vltimum, quod dixit, probari posset. Certe vero ego contra sentio, nec puto denegari posse duumiris exequendi ius, quum datum iis sit, aduersus resistentem violentius quid facere, pignora capere<sup>\*)</sup>, modiceque castigare<sup>?)</sup>, quod certe sine ministris fieri non potuit; quid? quod multandi ius ipse CUIACIUS in hac ipsa tractatione et alibi duumiris tribuit<sup>?)</sup>. Id autem temere fieri a PERENNIO<sup>?)</sup> puto, quod et Duumiris det hoc ipso iudicio poenali suam iurisdictionem tueri, quum diserte eos eximat VLPIANVS. Puto autem his ideo denegari, vt sit aliqua, hac quoque in re, inter maiores magistratus et minores distinctio.

## §. VI.

De verbo *vindicare* pauca quoque adiciam, vt adpareat, quare illud alio modo, quam frequentissime solet, explicauerim. Qua in re poteram, si vellem aliorum auctoritatibus vt, otium mihi facere, et prouocare ad clarissimos viros IANVM A COSTA<sup>\*)</sup> et ANTON. SCHVLTINGIUM<sup>?)</sup> quorum illum hanc, quam ego voci hoc loco tribui, significationem, eidem competere obseruasse, hunc firmasse EVERH. OTTO<sup>?)</sup> me docet. Sed quum libros illos, quibus id tradiderunt et exposuerunt viri docti, adire mihi non detur, licet flagrem incredibili cupidine eos possidendi, meum omnino duxi, curatius in huius vocis vim ac proprietatem inquirere, licet facile perspiciam, qualecunque meum in hoc genere studium longissime esse a SCHVLTINGIO superatum. Multum autem omnino ex eo pendet, vt, quid *vindicare* illud hic denotet, curate sciamus. Nam, si *vindicare* hic est lege agere coram praetore, ius domini persequi iure quiritium intenta sollempniter actione, perturbantur omnia, et dicendum erit, aut VLPIANVM extremum iurisdictionis posuisse quoque in initio iudicii, quo intenditur actio, cuius contrarium supra demonstrauimus,

IUS,

- \*) c. quemadmodum 29. §. magistrat. municipal. 7. D. ad L. Aquil.  
 e) c. Magistratibus munic. 12. D. de iurisd. ad quam conf. CUIAC. rep. prael. 1222.  
 p) in repet. prael. ad c. 3. D. de iurisd. ad quam prouocat in rep. prael. ad h.  
 2. Adde AVERAN. PERRENON. et KOOLIVM quos nominavi *Obsf.* 1. 5. 8.  
 q) *Animadu.* c. 20. in *Thes. Ott. Tom.* I. p. 617.  
 a) ad *Tit. X. de libell. libi.*  
 b) ad *D. h. t. §. 11.*  
 c) in *praef. ad Tom. 5. Thes.* p. 30.



mus, aut confugiendum esse ad *ἄλλο* CVIACII et DVARENI *ἀναρτα-  
πώδον*, quod ipsum tamen, quantum fieri potest, vitandum puto.  
Quae, quum incommoda premant sententiam eorum, qui vulgare  
hoc loco huic verbo tribuunt significationem, puto iure meo me  
posse recedere ab hac, licet frequentiori, huius vocis adceptione.  
Sed ne hoc quidem potero, nisi ostendam hanc, quam ego voci  
tribui vim, eidem inesse. Agedum! probabo, quantum potero.  
Primum autem hanc, quam voci *vindicare* tribuo significationem,  
existimo optime convenire origini vocis, quam a *vi* deducit VOSSIVS  
\*) ex VARONE. Dein exemplis firmari posse puto, non paucis, hanc  
adceptionem. Eaque, ut eo rectius procedam, ex ipsis libris no-  
stris proferam. Ita ALEXANDRVM AVGVSTVM, dum ANTIGONO rescripsit  
\*) ex imperfecto testamento nec imperatorem hereditatem vindicare posse  
intellexisse hereditatis aditionem, ideoque non petitionem heredita-  
tis, sed ipsum illud factum, quo quis hereditatem, quasi propriam,  
possidere incipit, HEINECCIUS <sup>1)</sup>) obseruat. Et recte! Dudum enim  
docuerunt summi viri CVIACIVS <sup>2)</sup>) et IAC. GODOFREDVS <sup>3)</sup>) aditionem  
hereditatis dici vindicationem, quod firmiter ex IAVOLENO <sup>4)</sup>) et POM-  
PONIO <sup>5)</sup>), quibus addo hoc, quod ipse VLIPIANVS noster *vindicare* here-  
ditatem pro adire dicat <sup>6)</sup>). Nolim autem huc trahi locum illum  
quem ex Codice Iustin. <sup>7)</sup>) in hanc rem adduxit uterque vir sum-  
mus <sup>8)</sup>). Potiori iure pronocare mihi videor ad alium locum <sup>9)</sup>), quo  
dicunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS A. A. eum, qui iure agnationis  
adita hereditate vel petita bonorum possessione successit, eorum substantiam  
vindica-

D 2

d) in Etymologic. Ling. lat. h. v. ubi re-  
iicit distinctionem inter *vindicare* et  
*vendicare*.

e) c. ex imperfecto 3. C. de testam.

f) ad BRISSON de V. S. h. v.

g) Lib. 19. Observ. c. 18.

h) ad c. *matr* I. C. Theod. de legitim.  
hered. Tom. I. Edit. RITTER p. 446.  
al. 424. Dicitur autem in ea consti-  
tutione aditio hereditatis fieri per  
arreptionem rei hereditariae.

i) c. *si tu ex parte* 76. §. item 1. D. de  
adqu. vel omitt. hered.

k) c. *ult.* D. eod.

l) c. *profecitita* §. §. *si pater* §. D. de  
*irur. dot.*

m) Scilicet c. *is qui liber* 15. C. de post-  
lim. reuers. et redem. ab host.

n) Videatur enim alter IACOBVS puta  
GODOFREDVS, alterum IACOBVM sci-  
licet CVIACIVM nimis fidenter sequi-  
tus esse, eumque, non inspecto loco  
illo Cod. exscripsisse. Id quod tum  
ex eo conicio, quod GODOFRED.  
perinde vt CVIAC. titulum Cod. non  
ita nominet, vti est inscriptus, sed  
eo modo exprimat, vti est in Dig.  
tum ex eo, quod omittat primum,  
quem diximus, IAVOLENT locum,  
quia CVIAC. illum more suo positus  
solis verbis initialibus indicauerat,  
quam adlegandi rationem GODOFRED.  
qui semper solum ponit numerum  
capitum, sequutus non est.

o) qui est c. *si his* 8. C. de legitim.  
hered.



*vindicare non prohiberi*, vt probem vindicare dici in eo sensu, quo  
 apud *VLPIANVM* dictum puto. Et *omni modo vindicare* <sup>f)</sup> quid aliud  
 est, nisi hoc duplici modo vindicare, et in iure, dum lege agitur,  
 et extra ius forumque, dum res modo licito adprehenditur ab eo,  
 cui ius est? Sed est haec mea coniectura, quae quam recte se ha-  
 beat, inspecto eo loco, iudicent viri harum rerum intelligentes.  
 Cogitur ergo ex his et quam plurimis aliis locis <sup>g)</sup> iuris nostri, rem  
 sibi vindicare in genere esse, rem aliquam sibi propriam tribuere,  
 maxime si id vi quadam adhibita fiat, cuius duplex est genus, alte-  
 rum imaginariae illius, seu civilis et fustulariae, quae in foro adhibe-  
 tur, dum ex iure manum censertum vocant, <sup>h)</sup> alterum verae et fo-  
 lidae, non tantum illius bellicae et cruentae, verum quoque eius,  
 quae in solo facto consistit, quo rem, quasi nostram, quae penes  
 alterum est, iure nostro manu adprehendimus, idque insigniter  
 firmatur ex eo loco *SERVII* <sup>i)</sup>, quem ex *BRISSONIO* <sup>k)</sup> adpono, ubi  
 ita: *Manus iniectio dicitur, quotiens, nulla iudicis auctoritate exspe-*  
*ctata, rem nobis debitam vindicamus.* En vindicantem extra forum,  
 et non expectata adeo iudicis auctoritate! Quem si manus in *ICIO-*  
*rum nostrorum libris tibi offendi, adi, quales, IULIVM PAVLVM* <sup>l)</sup>,  
 qui te docebit: *fiduciam et pignoro apud se deposita perssequi et sine au-*  
*thoritate iudicis vindicare, neminem prohiberi.* Ad quem locum  
*SCHVLTINGIVS* <sup>m)</sup> vindicare, ait, est auferre, additque apte in rem  
 nostram: et sic videtur vindicari usurpari pro abduci per priuatos *L.*  
*vn. §. 2. D. Si quis ius dic. non obtemp.* Hoc eodem sensu quoque  
 Imperatores *ARCADIUS* et *HONORIUS*, uxorem inquit proprias res,  
 vclut manu iniecta, vindicare <sup>n)</sup>. Quare quis iam iure nobis sus-  
 ceat, si contendimus *VLPIANVM* hoc loco cum dicere vindicari non  
 pati, qui non sinit prehendere id, quo l. dare oportere condemnatus  
 est, sane enim hanc prehensionem rei, quam quis in iure vindica-  
 uerat, ipsum decretum praetoris statim subsequutam esse, docemur

p) quod legitur in c. quatuorque res 4.  
 extr. C. de bon. quae lib.  
 q) v. c. si minor s. 2. §. quae autem 2.  
 D. Qui petant tutores c. quare si quo-  
 que 2. D. de manumiss. quae seru. ad  
 vniu. pert. impar. c. si pater 47. §.  
 vlt. D. de fiducia. non. libert.  
 r) de qua re vid. *GELL. Noct. act. L.*  
 22. c. 10.  
 s) ad *VIRGIL. Aeneid. Lib. X. v. 219.*

t) de *Formulis Lib. 5. c. 10. edit. BACH.*  
 p. 356. al. 353.  
 u) in *sentent. recept. Lib. 5. Tit. 26. §.*  
 4. extr.  
 x) in *Iurisprud. Ante Iust. edit. Lipsi-*  
*ens. p. 524.*  
 y) in c. si quis posthac 15. C. Theod.  
 de bonis proscriptor. ubi conferri pos-  
 sunt quae obseruat *IAC. GODOFR.*  
*Tom. 3. Edit. RITTER. p. 372. al. 343.*



a LIVIO <sup>2)</sup>), in exemplo M. CLAVDI VIRGINIAM vindicantis. Quae si placet interpretatio, omnia clara sunt, nec opus est, ut vim inferamus voci *extremum*, quod BARTOLVS alique fecere, nec ut *ἔλλειψι* CUIACII, aut DVARENI *ἀνεπαρόδετον* fingamus, quod daturum omnino est. Nec recte firmasse CUIACIVM *ἔλλειψι* suam exemplo ex TRYPHONINO <sup>aa)</sup> adducto, patet ex iis, quae ad posteriorem locum disputavit elegantissimus ICtus CORN. VAN BYNCKERSHOECK <sup>bb)</sup>. Denique contra HOTMANNI inane corrigendi studium disputare, superuacaneum videtur, quum, qui id probet, credo fore neminem.

## §. VII.

Progredimur, ad verba VLPiani: *sed duci sam vel ferri passus est*, in quibus id potissimum quaeritur: ad quem illud duci et ferri pertinet, et quis ducere vel ferre ab VLPiano intelligatur. ALCIATVM et CUIACIVM in hac quaestione dirimenda diuortium fecisse, supra (§. II.) diximus. Reliquorum Doctorum, quos ibidem nominauimus, et quos ipsi legimus, nemo fere de horum verborum interpretatione sollicitus fuit. Solum EVERHARDVM OTTONEM, quid sentiat hac de re, explicasse luculenter inuenio. Is quidem in ALCIATI castra transit, sed notanter adiicit: *Si quis vero illud duci et ferri cum ploribus ad exequutores litium, et manum militarem referri malit, non valde intercedam, quamuis enim fructuum DVNTANAT omni que causae nomine condemnatio fiat, ut idem VLPIANVS scribit in l. 68. de R. V. si vero haec sequentia, recusauit tunc non obtemperasse videtur.* Ego vero neutram quidem interpretandi rationem cum doctissimo viro improbabilem puto, nec inconcinnam esse, attamen ex pluribus non improbabilibus propositis si dicendum est, quid probabilius videatur, malum CUIACIVM ducem sequi. Idque, quare fiat, paucis declarem. Inuenio autem plane in hunc sensum, quem ego his verbis hoc loco tribuendum puto, adfinia et plane similia verba: *abducere et auferre a CAIO* in uno eodemque capite <sup>a)</sup> bis adhibita, et IULIANVS *Lib. 5. ex MINICIO* <sup>b)</sup> *seruum duci* bis dicit *ab eo, qui vicit*, nec multo ab simili ratione CALLISTRATVS <sup>c)</sup> et PAVLVS <sup>d)</sup> ex noxali causa seruum, qui non

D 3

2) *Lib. 3. c. 48. et 49.*aa) *c. in bello 12. D. de captiu. et postlim.*bb) *Lib. 1. Obs. c. 20.*a) *Seil. in c. habere licere 57. pr. et 5. quod cum ita 1. D. de vici.*b) *in c. duobus potentibus 30. D. de liberali causa.*c) *c. is qui aliena 32. D. de noxal. act.*d) *c. item si seruum. 6. D. de public. in rem act.*



non defendebatur, duci dixerunt, et VLPPIANVS noster \*) adserit, ipsam eum, qui decreto praetoris non obtemperauit, duci; quod ipsum ab hoc loco non plane alienum est. Quemadmodum autem duci res animales, ita res inanimatae ferri f) dicuntur. Vtrumque genus rerum autem, ad quod VLPPIANVS coniunctis hisce duobus verbis respexit, comprehenditur sub denominatione rerum mobilium in legibus nostris g). Quamuis vero non negem, vtrumque verbum generale esse, vt ideo et ALCIATI interpretatio non plane repugnet, dubito tamen, quod in singulis his verbis sit, h) id etiam locum habere, dum vtrumque verbum coniunctum et absolute sine aliqua adiunctione ponitur. Et si id voluisset, ICTus quod ALCIATVS putat, nonne loquutione illa ICTis frequentissima vsurus potius fuerat; *dolo malo desit possidere*? Quare, quum, quod sciam, hoc verbum vtrumque et absolute positum non occurrat eo sensu, quo ALCIATVS vult, quod tamen eo sensu inueni, qui CUIACIO placuit, praeferenda mihi videtur huius opinio. De manu autem militari, quam, vt dixi, hic intelligi malle, eleganter ad explicandum illum ipsum locum VLPPIANI, cuius EV. OTTO mentionem fecit, exposuit doctissimus BYNCKERSHOECKIUS i). Neque puto, illum locum nec voculam: *duntaxat* mihi obflare. Est autem totus ille locus inspiciendus, quod in omni interpretatione fieri debet k). Loquitur autem ICTus de eo, qui restituere iussus, iudici non paret, contendens non posse se restituere. In quo dupliciter distinguit, primum habeatne rem, an restituere non possit, dein, si restituere non possit, vtrum dolo fecerit, quo minus possit, nec ne? Quas tres species propositas ita definit, vt in prima specie dicat, manu militari officio iudicis ab eo possessionem transferri, et fructuum duntaxat, omnisque causae nomine condemnationem fieri, in secunda vero specie, eum, qui dolo possidere desit, condemnandum esse, in tertia denique specie, non pluris eum, quam, quanti res est, id est, quanti aduersarii interfuit, condemnandum esse. Quare puto voculam *duntaxat* in prima specie non excludere actionem in factum poenalem. Nam VLPPIANVS per voculam hanc

e) e. iniuriarum actio. 13. §. si quis 2. D. de iniur.

f) Conf. c. ferri 235. D. de V. S.

g) quod et VLPPIAN. fecit in c. post actiones 1. §. quae specialis 1. D. de Rei vind. et PAVLVS in c. qui vniuer-

sas aedes 30. §. item quod mobile est 4. D. de acquir. vel amit. poss.

h) ita verbum duci occurrit in c. si quadrupes 1. §. sed si canis 5. D. si quadrup. pau. per. sec. dic.

i) Lib. 3. Obs. c. 14.

k) c. inciuile 24. D. de Legib.



hanc differentiam primae et secundae speciei apertius indicasse videtur. Dein forte dici quoque poterat VLPPIANVS loqui de eo, quod iudex facit ex officio, postquam certior factus est de contumacia, neque ideo excludere eum hoc iudicium poenale, quod plane non datur ad id, quod interest. Sed magis quoque videtur CUIACI interpretationi convenire particula *caeterum*, quae sequitur, de qua iam pauca adiciam.

## §. VIII.

Ne quid omitam, quod vel vlla ratione ad firmandam interpretationem meam necessarium videri poterat, id paucis declarabo, quod dixi, voculam *caeterum* hoc loco denotare *alioquin*. Quamvis vero *caeterum* apud veteres scriptores plerumque habeat continuandi vim, ut illi respondeat, quod reliquum est, interdum quoque aduerlandi vim, fere ut sed, ideoque id denotet, quod graecorum *μέντοι*, et *ἀλλὰ*, tamen GESNERVS, dum haec ipsa scribit, obseruat simul <sup>a</sup>), apte in rem nostram: hanc voculam *etiam a Iureconsultis, presertim ab VLPPIANO pro alioquin accipi*, idque firmat duobus locis huius ICTI ex libris nostris <sup>b</sup>). Sed idem quoque animaduertit BRISSONIVS, <sup>c</sup>) et nominat praeter duo illa loca, sedecim alia, quae omnia sunt tribus tantum exceptis, <sup>d</sup>) ex VLPPIANI nostri libris. In tanta ergo probationum abundantia, quae, si opus esset, facile poterat mirum in modum augeri, quis dubitabit, hic quoque vocem ita accipere, vti constanter ea vsus est ICTUS noster? Inprimis autem haec vocis significatio conuenit nostrae interpretationis rationi. Nam quum dixerit VLPPIANVS, eum videri ius dicenti non obtemperasse, qui sententiae non paruit, idque exemplo illustrauit eius, qui rem sibi ab exequutoribus litium denuum auferri passus est, ipsi vero victori ex sententia rem vindicanti restitit, concinne et apte adiicit; alioquin si et ea, quae sequuntur sententiam recusauit, ideoque consueque in contumacia perseverauit, vt et officiales non admiserit, aut iis restitit, non minus non obtemperasse videtur. Quid? quod poteris quoque particulam *sed cum caeterum* commutare, et sensus erit idem. Quae omnia possunt quidem, sed minus apte, vt videtur, in ALCIATI interpretatione adhiberi.

## §. IX.

- a) in *Thesaur. ling. et erud. Rom. h. v.*  
 b) Scil. c. si finita 15. §. postea quam 37. D. de damno infect. et c. iam tamen 5. per. D. iudicat. solu.  
 c) de *Verb. Signif. h. v.*  
 d) quorum duo sunt PAULI scil. c. si pater 12. §. ex pactis 1. D. de pact. dotal. et c. non distinguemus 32. §. ult. D. de recept. qui arbit. vnicus AFRICANI scil. c. si seruus 61. §. haec ita 7. D. de furtis.



Denique, dum *sequentia*, vt dixi, ea interpretor, quae sententiam sequatur, neminem contra dicentem inuenio, neque ipsum LYCKLAMAM, qui, vt supra (§. II.) monui, nihil absurdius fieri posse putat, quam vt praecedentia intelligamus per sequentia. Puto enim LYCKLAMAM haec sensisse: Si VLPIANVS in verbis praecedentibus loquitur de executione, quomodo potest mox ea, quae ad executionem spectant, *sequentia* dicere? Cui incommodo vt contra eat, sequentia intelligit per pignoris capti venditionem vel additionem. Ego vero puto, omnino hoc, quod LYCKLAMA obseruat, cadere in eos, qui cum CUIACIO extremum in iurisdictione apud VLPIANVM hoc loco dicunt esse executionem. In nos vero haec obiectio nihil valebit, qui extremum dicimus sententiam esse. Neque obstat nobis, quod verba, quae proxime antecedunt, de executione intelligamus, dum vocem *sequentia* non ad haec proxime antecedentia, sed ad integram orationem antecedentem, referamus, quam interiecto exemplo illustrauit ICTUS, quod ipsum exemplum huius ampliationis occasionem ipsi praebuit. Denique nec bene puto LYCKLAMAM rei suae consuluisse. Primum enim haec ipsa, quae is per sequentia intelligit, nonne ad executionem quoque pertinent? Quorsum, quaeso, aliunde? Aut quis executionem unquam ad solam pignoris captionem restrinxit? Denique de hac ipsa executione, quae fit per pignoris captionem, captique venditionem vel additionem, plane puto VLPIANVM hoc loco, in exemplo, quod proposuit, non cogitasse, sed videtur mihi ICTUS de rei vindicatione, seu actione ex dominio loquutus esse, in cuius iudicii executione ipsa res, quae vindicatur, aufertur, non vt iure pignoris, sed iure domini, qui vicit, eam habeat. Caeterum ALCIATVS quidem aliter sentit de interpretatione huius verbi, sed contra eum amplius disputare non opus est, quum, si vera ea sint, quae de reliquorum verborum sensu disputauimus, haec ALCIATI opinio per se corruat. Quae quidem ita disputata, iam pro temporum ratione sufficient, eaque si viris intelligentibus non omnino displicuisse videam, adcedam in posterum ad alia quoque iuris nostri loca simili studio, et, si pluribus praesidiis eruditionis instructus aliquando ero, forte feliciori successu, illustranda.





GENEROSSIMO DOCTISSIMOQVE  
EXERCITATIONIS DEFENSORI

S. P. D.

P R A E S E S

Quum me comite cathedram academicam ascendere, et quae ad edictum Praetoris, quod aduersus eum proposuit, qui ius dicenti non obtemperauerit, commentatus sum in hac Observationum biga, descendere et disceptatione publica instituta, ab impugnantium dissensionibus vindicare instituisi, praebes mihi exoptatissimam occasionem, publice TIBI testificandi, quanto amore, quanta amicitia TE complectar. Primum autem gratulor et TIBI et mihi exercitationis huius defensionem; TIBI quidem, AMICE SVAVISSIME, quem certe scio, hac disceptatione insigne eruditionis specimen editurum, mihi vero, quem comitem TIBI, ideoque et laudis, quae inde ad TE perueniet, socium quasi esse voluisti. Dein gratias TIBI ex animo et maximas ago, pro singulari amore, benevolentia, studio, quo me prosequutus, per biennium, quod in nostra Musarum sede commoratus es, continuus et assiduus in scholis meis auditor et indiuulsus quasi comes mihi extitisti. Neque id, crede, minimum est eorum, quae grata menti, agnosco, quod consilio meo, quo auctor suasque TIBI fui, ut, antequam abires, publicum aliquod diligentiae doctrinaeque specimen ederes, beneuole statim lubenterque annuens, occasionem mihi praebue-

E

ris.



ris, perficiendi id, quod libenter vellem frequentius et saepius susci-  
pere, nisi multa essent pro temporum ratione, quae non tantum  
auocant me ab hoc genere laborum academicorum, omnium fere mihi  
iucundissimo, sed arcant plane ab eodem, penitusque impediunt, quo  
minus possim, quicquid est otii litterarii, huic scribendi studio con-  
secrare. Discessum autem TVVM, VIR AMICISSIME, insigniter qui-  
dem doleo, quum eodem TE ex gremio quasi meo et amplexu amit-  
tam, sed et maxime lactor, quum sciam, TE id agere, ut breuis  
post tempus adeas celebratissimam et inclutam GEORGIAM AVGVSTAM,  
in qua abundabis omnibus praesidiis, quibus instructus esse debet, qui  
ad solidam eruditionem, cui TV TE mancupasti, aspirare cupit.  
Fausus igitur felixque, ex animo opto, sit TIBI discessus, quem  
meditaris, ex hac nostra Academia, in qua summa cum laude et  
virtutis et diligentiae hucusque versatus es; faustus sit TIBI in il-  
lam, quam dixi, GEORGIAM AVGVSTAM aditus, ut omni genere  
eruditionis et doctrinae auctus ornatusque olim inde in patriam redi-  
re, huiusque commodo inseruiendo uberrimos possis diligentiae virtutis-  
que fructus percipere, quos pro insigni TVA industria haud exiguo  
TIBI futuros, fausto omine auguror. Vale, perge mihi fauere, et  
res TVAS age prosperrime. Dab. e muscolo a. d. VII, Iduum Maii  
A. O. R. clb!ccclxv.





Quum ob nimios Typographi Academici labores hae  
 plagulae alibi sint excusae, factum est, ut in variis locis er-  
 ratum sit a typotheta, in quibus, ne haesitet lector, praecipuos  
 errores hic indicare lubet. Ita lege:

pag. V. lin. 3. *quas* pro: *quae*

-- IX. -- 23. ἀμέσως pro: ἀμεσῶς  
 -- X. -- penult. *popularium* pro: *poenaliu*  
 -- XI. -- 22. & hanc actionem esse popularem pro: & haec  
 -- -- actio esse popularis  
 -- -- 25. *Quaecunque* pro: *Quaecunquae*  
 -- -- in not. lit. c. lin. 1. *quaedam* pro: *quaedem*  
 -- XII. lin. penult. *discepcionem* pro: *disceptionem*  
 -- XIII. not. d. c. *praetor ait*. i. s. vlt. D. pro: c. *praetor ait*

I. S. D.

-- XIII. lin. 2. ὡς ἐν παροῶ pro: ὡς ἐν παροῶ  
 -- -- lin. 16. *inferret* pro: *inferre*  
 -- XV. -- 11. *duumiris* pro: *duumiros*  
 -- -- 22. *veniunt* pro: *veniant*  
 -- -- in not. lit. d. lin. antepen. *Ateriam* pro: *Arteriam*  
 -- XVII. lin. 13. *quae* pro: *quid*  
 -- XVIII. -- 28. *resisti* pro: *resistit*  
 -- -- 32. *celebritate* pro: *celebritati*  
 -- XVIII. -- 11. dele vocem: *inprimis*  
 -- XX. -- 29. *queror* pro: *quaeror*  
 -- XXI. -- 9. *omnino* pro: *omnio*  
 -- -- 17. *ius* pro: *ea*  
 -- -- 24. *vindicari* pro: *vindicare*  
 -- XXIII. -- 7. *sententia* pro: *sententiam*  
 -- -- 19. *fulciri* pro: *fulcici*  
 -- XXIII. -- 18. *quod* pro: *quam*  
 -- XXV. -- 2. *adferi* pro: *dici*  
 -- XXVII. -- 1. ἑλλειψι pro: ἑλλειψι  
 -- -- not. h. c. *matri*. i. C. pro: c. *matri* I. C  
 -- XXX. lin. 29. *condemnandum* pro: *condemnendum*  
 -- XXXI. -- 16. *praeserim* pro: *praesertim*  
 -- -- 23. *dixit*, pro: *dixerit*  
 -- -- not. b. *pr.* pro: *per*  
 in Epist. ad Def. p. 1. l. penult. *doctrinaeque* pro: *doctrinaequae*



Est quoque in interpunctionibus varie erratum.  
Ita tollenda est virgula, quae posita est  
pag. VIII. lin. 27. post vocem *tuentur*. pag. XVI. lin. 18.  
post: *dixerat*. pag. XXVII. lin. 3. post vocem: *Quae*  
pag. XXIX. lin. 22. post voc. *sequentia*

addenda est multis in locis v. c.  
p. VI. lin. 24. post voc. *proposuit* p. IX. lin. 13. post voc.  
*obtemperavit* p. X. lin. 9. post voc. *eiusus* p. XII. lin.  
17. post: *autem* p. XIII. lin. 2. post: *hoc* p. XV. l. 24.  
post: *dicam* & lin. 26. post: *fuisse* p. XVI. lin. 18. post:  
*continere* p. XXV. lin. 13. post: *exterus*. p. XXVII.  
lin. 13. post: *posse* p. XXIX. lin. 22. post: *recusavit*, &  
aliis locis, quae omnia notare non necessarium videtur,  
quum eius omisso in reliquis non adeo turbet sensum.

Colon (;) quoque ponendam est, loco semicolonis (;)  
pag. XI. lin. 24. p. XII. lin. 5. p. XIII. l. 27. p. XIV.  
l. 3. p. XXXI. l. 27.

sicuti addendum illud est  
p. XXVII. l. 12. post: *rescripsit*  
& delendum  
p. III. l. 12. post: *sufficit*.



Bueteoro, Diss., 1761-71


VD 18



5b.











BIGA  
OBSERVATIONVM

AD TIT. D.

1765, 56  
*si*  
SI QVIS IVS DICENTI

NON OBTEMPERAVERIT

PRAESIDE

ADOLPH. FRID. TRENDELENBURG

AA. LL. M. PHIL. ET I. V. D. ET ANTECESS. IN ACAD. FRIDERICIANA  
EIVSDEMQUE H. T. RECT. ET ORDINIS LCTOR. DECAN.  
SOCIET. TEVT. DVICAL. HELMSTAD. COLLEG. HONOR.

AD

DISCEPTANDVM

PROPOSITA

A

NIC. GEORG. BERNH. DE LOEVENSTERN

HAMBVRGENSI. I. V. CVLT.

BVETZOVII

A. O. R. c1o1occlxv. A. D. viiii. KAL. ivn.

